Ex Libris



Jón Steffensen

SCIAGRAPHIA
HISTORIÆ
LITERARIÆ
ISLANDICÆ
AUTORUM ET SCRIPTORUM

TUM

EDITORUM TUM INEDITORUM

INDICEM EXHIBENS.

CUJUS DELINEANDÆ PERICULUM

FACIT

HALFDANUS EINARI

PHILOS. MAG. ET RECTOR SCHOLÆ CATHEDRALIS

HOLENSIS.

Sumtibus Societat. Typographicæ Havnienſis, conſtat in charta communi 3, in charta ſcriptoria 4 Marcis Danicis.

HAVNIÆ 1777.
Impreſſerunt SANDER ET SCHRÖDER.

HUGO GERING.

PRINCIPI
HÆREDITARIO
REGNORUM OCELLO.

Nunqvam eò audaciæ processerim, REGNORUM OCELLE! ut sacrum & Augustum TUUM nomen his pagellis præscriberem, ni testatissimum esset, qvantam REGIA TUA CELSITUDO rebus etiam minimis curam adhibeat, ubi prudens TUA rebus gerendis adhibita solertia aliqvid easdem utilitatis allaturas præsagit: tantum porro abest, ut Regium, id est optimum, FRIDERICORUM in bonas literas animum & ardorem in TE cessare permit-

tas, ut luculenta potius & continua ſuperſint in literas & literatos eximii Tui favoris & clementiæ documenta, inter qvæ non ultimum locum obtinet, qvod claſſicos noſtrates Hiſtoriæ Norvegicæ Scriptores Danica & Latina civitate donatos, in lucem Regali ornatos apparatu producere velis; in hoc Patrum Tuorum, Optime Princeps! antiqvorum nempe, qvibus Septentrio qvondam ſuperbiit, Regum; Poëtas ſuos aulicos & Hiſtoriographos muneribus & honoribus mactantium, qvam proxime veſtigia, ſed plurium commodo, nunc legens,

gens, nunc antevertens. Patere igitur, PRINCEPS INDULGENTISSIME! qvalemcunqve hanc Hiſtoriæ Literariæ Sciagraphiam larario Tuo inferri, tum qvia ſiſtit Islandorum TUORUM in rem literariam merita, eo, me judice, magis commendanda, qvo illis, qvam aliis nationibus, acrius contra mille impedimenta certandum fuit, tum qvia indefeſſi TUI in totius Reipublicæ (ſacræ ſpeciatim & literariæ) certiſſima commoda, exantlati labores jure meritoqve ſibi vindicant, qvicqvid ſubditorum aut molitur aut perficit plurium commodo aut honori pro-

movendis intenta ſedulitas. Deum T. O. M. intimis & continuis precibus obteſtor & obteſtabor, ut REGIAM TUAM CELSITUDINEM, orbis delicias, Regnorum columen, bonorum præſidium, Principum exemplar, Muſarum decus, ſervet ſalvum & ſoſpitem qvam diutiſſimè

REGIÆ TUÆ CELSITUDINIS

Holis in Islandia
boreali
Idibus Septembris
1777.

Subjectiſſimus
Cliens
H. EINARI.

AD LECTOREM
PRÆFATIO.

In ampliſſimo nos homines hujus mundi amphitheatro omnium rerum ſatorem & arbitrum Deum non ſpectatores tantum, ſed pro cujusvis modulo præcones & judices conſtituiſſe compertum habeo, noſtris enim ſenſibus admiranda hujus Univerſi compages, diſertiſſimus poſt ſacras Pandectas attributorum divinorum teſtis & interpres, ejusdemqve Univerſi ordini fallere neſcio ſuperſtructa varietas, varietatisqve certis legibus cir-

cumſcriptæ vices, ut in maximis, ita in minimis, ſi qvid in hac admirabili operum divinorum univerſitate minimum dici poteſt, ineffabilia ſummi architecti, piis nunqvam non adoranda, monſtrantes veſtigia, prolixe ſemet offerunt: qvocirca hominis, heſternæ qvidem illius, juxta Bildadi effatum, umbræ, verum imaginis divinæ exemplaris, ſobria & qvæ frugi eſt contemplatio ſapiens ac benignum numen ſibi ubiqve repræſentat & ſubmiſſe veneratur; nec in admirabili rerum ordine diu ſubſiſtet curioſa meditatio, ſed pedetentim, pueri adinſtar elementarii, æternas ſupremi Numinis leges, qvantum naturæ & gratiæ beneficio adſeqvi par eſt, rimando plus ultra contendens, fines rerum ſcrutatur, & ſpeciatim animæ facultates, artium progreſſus & augmenta ſcientiarum, non ſine delectatione ſolerter explorat, ut nexu inter notitiam & actiones liberas, inter ſcientias & proſperiora cætus Deo addicti fata, inter diverſos rerumpubl. ſtatus & artium liberalium nunc decrementa nunc incrementa,

accu-

accuratius perſpecto, divinæ providentiæ ob conceſſa beneficia animum exhibeat & gratiſſimum & addictiſſimum. Sed hæc ut in genere vera ſint, cum regimen divinum ſummæ rerum varietati, continuisqve earum viciſſitudinibus, cujusqve naturæ conſervationi & uſui optime attemperatum ubiqve & in omnibus eluceat; ita dudum emunctioris naris viri, literatiſſimi & variarum ſcientiarum laude percelebres, ſuarum duxerunt eſſe partium, qvam latiſſime patentes civitatis divinæ partes, qva licuit, perluſtrare, cœli, ſali, ſoli, & in ſpecie humani generis notitia mentem veri cupidam non oblectare modo, ſed inſtruere & confirmare, qvocirca non tantum hiſtorias univerſales, ſed & certis regnis & provinciis peculiares, & in his literarias conſcribere non dubitarunt. Horum igitur (nam qvis eſt qvi de hiſtoriæ literariæ uſu vel tantillum dubitet?) veſtigia ego, ſed qvam titubante gradu! utpote iſtorum infra, immenſum qvantum, reſpectu eruditionis, ſi qvæ eſſet, otii & adminiculorum, dejectus

jectus sortem, pressurus, tot qvippe præstantium virorum de Rep. & Ecclesia Dei in patria, deqve orbe literato bene meritorum labores tanta amnestia sepultum iri, ut ad paucorum notitiam perveniant, ægre non parum ferens, qvid mei conterranei, & inprimis qvod ætatem fert, in literis præstiterint, ubi a severioribus studiis animum revocare licuit, exponere qvam brevissime & qvam verissime dudum constitui; tres enim & viginti sunt anni, ex qvo aliqvid de literaria hac materia cogitare cœpi, eaqve pro virum modulo in aliqvam formam redigenda; Sed intervenerunt rationes me a continuando hoc qvalicunqve labore adeo dehortantes, ut qvicqvid hunc in finem annotaveram, blattis aut Vulcano dandum dicandumqve censuerim, sed arridente jam occasione, fautoribus & amicis, qvibus isti conatus non displicebant, dandum esse jam inducor, ut Sciagraphia hæc illorum partim, partim & meo periculo in lucem prodeat. Excutiens igitur sarcinas, folia hinc inde fluitan-

fluitantia in qvalemcunqve ordinem redegi, cum hoc nec a munere, qvo fungor, nec ſtudiis, qvibus delector, abhorrere videatur, hiſtoriam qvippe Microcoſmi, ubi facta & conſulta hominum, artiumqve liberalium fata penitius introſpexeris, veræ Philoſophiæ partem qvis neget, cum, ut alias rationes taceam, generali patriæ notitia, vitæ pragmaticæ magiſtrâ, imbutum eſſe, ejusdemqve hiſtoriâ, qvæ ſtudiorum, ab humanitate nomen mutuantium, & ſcriptorum depingit ideam, animum ditare & paſcere jucundum ſit & utile, qvin etiam idem pars haud minima literatæ urbanitatis eſſe videatur. Fateor interim, me ad condendam hiſtoriam patriæ literariam nimis inermem, nam & deſtitutus ſum neceſſaria ſupellectile libraria, & eorum ſcripta, qvæ huic materiæ lucem adferunt, vel ad me non pervenerunt, vel exiguam tantum partem librorum Islandicorum attigerunt, qvoniam nemo, qvantum ſcio, hanc materiam in toto ſuo ambitu ſibi pertractandam ſuſcepit, niſi forte Vir ille

de

de Antiqvitatibus patriæ optime meritus, *Arnas Magnæus*, Profeſſor qvondam Hiſtoriarum & Antiqvitatum in alma Univerſitate Havnienſi, prout colligere licet e Codice qvodam ſatis ſpiſſo in Bibliotheca Univerſitatis Havnienſis aſſervato, ubi perpauci recenſentur in priſcis monumentis excitati auctores Islandi, huc adducendus ſit (*); ejusqve lateri adjungendi Duumviri literatiſſimi, Johannes nempe Thorkillius, Rector qvondam Scholæ Skalholtinæ (qvi ſine dubio viro Clariſſ. Dn. Sibbern in adornanda *Hiſtoriæ Literariæ Islandicæ Idea*, varia, qvæ ad rem pertinere videbantur, qvædam tamen cum grano ſalis accipienda, communicavit, dum Kilonii ſtudiorum gratia commorabatur), *Islandiæ non Barbaræ* qvædam Specimina in novellis Havnienſibus Literariis 1752 publici juris faciens, paucorum tantum vitas, nec tamen omnium ob navatam rei literariæ operam comple-

(*) Multa hunc Virum Doctiſſ. ad Hiſtoriam Islandiæ literariam collegiſſe, ſed ipſius collectanea ferali Havnienſi incendio, qvod ann. 1728. contigit abſumpta eſſe, inaudivi.

plectentia; & *Johannes Olavius*, veteranus Academiæ Havnienſis civis, & Antiqvitatum indefeſſus cultor, a me interdum diſtinctionis gratia Grunnavicenſis, epitheto a loco natali deſumto, laudatus, qvi catalogum virorum doctorum, a ſe, in gratiam (ni fallor) Viri Clariſſ. Alberti Thuræ confectum, mihi ſemel monſtravit. *Torfæus* eqvidem, mea laude major, varia excitat in ſcriptis ſuis, præſertim Serie Dynaſtarum & Regum Daniæ, monumenta Islandica, præſertim hiſtorica; Doctiſſimusqve Nomophylax *Paulus Widalinus* Recenſum ſcribere cœpit Poetarum & Scriptorum ſeculi XVI & XVII, opus adfectum modo, & ad umbilicum minime deductum, cui tamen nonnulla me debere gratus agnoſco. Sed hæc maxima ex parte inedita ſunt, unde qvi vult aliqvam librorum Islandicorum notitiam adſeqvi, vel titulos potius librorum noſſe, adeat neceſſe eſt exteros, inprimis Doctiſſimos in Dania Viros, qvi vel antiqvitatibus borealibus vel hiſtoriæ Daniæ Literariæ operam navarunt, *Alb. Bartholi-*

num

num, *Sibbernum*, *Thuram*, *J. Wormium*, &, qvi vel primo loco ponendus eſt, Perilluſtrem & Ampliſſ. Dn. *Ludovicum Harboe*, in nonnullis Tractatibus ſuis Bibliothecæ Danicæ inſertis, ubi ex conſtituto egit de libris Islandorum Theologicis. Aſt licet hæc omnia in unum contrahantur, & meſſem minime ſpernendam efficiant, Spicilegium tamen ſollicite qværentibus relictum eſſe, diligentior fatebitur inqviſitio, unde mihi, ut mox innuebam, in mentem dudum venit, lacunas qvasdam in hiſtoria patriæ literaria ſupplere. Verum conſpecta tandem Viri Ampliſſ. & S. Ven. Dn. D. *Finni Johannæi*, Epiſcopi Skalholtenſis meritiſſimi, *Hiſtoria Islandiæ Eccleſiaſtica*, ubi pleraqve ſolerter & ſingula pro ſcopo accurate perſeqvitur, qvæ ad ſtatum rei literariæ in patria pertinent, aqva profecto mihi hærebat, utrum hoc opusculum edi, nec ne, permitterem; ſed ut publicæ ſiſtatur luci, prævaluit ea ratio, qvod nonnulla hic inſerantur, qvæ in editis libris fruſtra qværes, & paucis includantur pagellis, qvæ ex pluribus aucto-

auctoribus non ſine labore & circumſpecto ſtudio (mendavi enim qvædam, qvæ apud alios auctores minus recte ſe habent, qvorum tamen nomina ſtudioſe præterii) colliges; non tamen L. B. exiſtimes, me hac Synopſi Hiſtoriam Islandiæ Literariam exhauſiſſe, qvum tantummodo hac vice (majoris enim, ſi vitam & otium nactus fuero, hiqve mei conatus doctis viris haud displiceant, operis præludia primis iſtis Sciagraphiæ lineis tantum ſiſtere decrevi) præcipua capita ſuffecerit percurrere, qvumqve multa oculos fugerint, meamqve notitiam forte præterierint, qvorum alias, imprimis ſi magni momenti eſſent, mentionem ultro feciſſem; illorum ſcriptis, qvæ hic non enumerantur, nihil a me detractum velim putes, uti e contra non oſtentationi cæcove in patriam amori tributum, etſi opuſcula qvædam, qvæ minoris momenti prima fronte videri poſſent, qvod a viris Græcæ Romanæve literaturæ minus peritis (ideoqve indoctorum & idiotarum loco a qvibusdam, ſed qvo jure alii viderint, habi-

tis, qvaſi nihil eruditum, nihil politum, qvod non *Romæ*, qvod non *Athenis*, qvod non reliqvis cultioris doctrinæ, qvibus ſuperbiit antiqvitas, emporiis natales debeat) adornata ſunt, in pulverem (ut Cicero ait) & ſolem eſſe protrahenda duxerim, qvum luculenter demonſtrent, non literatos tantum ſtricte ſic dictos, ſed qvi ad remos, raſtra & falces tractanda ſunt educati, felices ingenii dotes, impedimentis, qvæ durum paupertatis telum & ſors nimium ſæpe afflicta ſolent opponere, pro virili remotis, diligenter artibus adſveſeciſſe humanioribus & relicto non uno ingenii fœtu poſteris pro re nata comprobaſſe, ſi non gratiam & admirationem extorſiſſe. Sed ſi prolixior fuero in retexendo illorum catalogo, qvi literato orbi, præſertim qvod eorum ſcripta typorum beneficio non ſunt publici juris facta, minus conſpicui aut noti ſunt, eo ſuccinctius a me tangentur, qvi ob variam qvidem eruditionem nomen ſuum poſteritati venerabile reliqverunt, ſed editis aut conſcriptis

libris

libris vel tractatibus non cluent; nam mei instituti potissimum est, non omnes doctos, sed Auctores tantum & eorum opera, adjectis semper annis, qvibus edita sunt, & si inedita sunt, iis circumstantiis, unde auctorum ætas, qvoad fieri potuit, innotescere qveat, notatis, enumerare. Qvod porro ordinem & dispositionem hujus opusculi attinet, distinxi id in VI Sectiones, easqve iterum in sua membra & paragraphos, prout Conspectus præ se fert. Scio qvidem, me seqvi potuisse scriptores in hoc genere luculentos, qvi vel Auctorum nomina ordine Alphabetico sistere, subjunctis cujusqve scriptis, qvamvis argumento dissimilibus, satis putant; sed hoc pacto, verendum esse putabam, ne anepigrapha & qvorum auctores penitus ignorantur, negligerentur; vel qvi argumentorum primariorum tantum habuerunt respectum, ordinem nominum alphabeticum & chronologiam insuper habentes; sed qvum utraqve hæc methodus sua se commendet uti-

litate, combinavi utramqve qvantum potui, ſcientias juxta ordinem naturalem in certas claſſes referendo, ordinem alphabeticum, prout commodum mihi viſum eſt, ſervando, Syllabumqve Auctorum, unde ſcripta, qvæ cuiqve tribuantur, colligi poſſunt, ad finem ſubjiciendo. Fata vero literarum in patria qvod attinet, tum e Scriptorum, qvos attuli (qvamvis preſſe ſingulorum auctorum ætatem per totum hoc opusculum indicare non adeo e re viſum ſit, neqve in me ſitum, qvum non pauca exiſtant antiqviorum imprimis temporum monumenta, qvorum auctores e tenebris eruere, & proinde ad certa ſecula vel minores temporum periodos referre non potui) complurium ætate, tum interſperſis ad frontes Sectionum Paragraphis, de earum incrementis & decrementis generalem ſibi ideam formare poterunt juſto adhibito ſtudio lectores. Qvod alium in nominum propriorum contexendo juxta ſeriem Alphabeti ordine in hoc opusculo ſervaverim modum, talem nimirum, qvi patrio

patrio more nomina propria in Baptiſmo indita, patris nomini aut adjecto cognomini præmittit, alium vero in ſubjecto auctorum Syllabo, ubi patris nomen aut etiam cognomen, more exteris recepto, nomini auctoris proprio præmittitur; id benevolus Lector facile, credo, condonabit, qvum ad exterorum ſimul & inqvilinorum receptam cogitandi methodum, ſine veritatis dispendio, memet ex parte, qvum utrisqve ſatisfacere non poſſem, componere voluerim. Multorum porro qvum mentionem fecerim librorum & opusculorum, qvæ publicam typorum beneficio lucem nondum viderunt, ad conciliandam meis dictis fidem exponendum mihi forſitan eſſet, ubinam locorum exiſtant, qvod & lubentiſſime fecerim, ſi res apud me ſtetiſſet. Interim certum eſt, me nihil attuliſſe, qvod non vel propriis oculis luſtraverim, vel teſtimoniis fide dignis a me ſubinde citatis inductus pro comperto habuerim; verum tantum non omnia, ad antiqvitates patriæ ſpectantia, imprimis antiqviora, tam hiſtorica

qvam juridica a me laudata ſupereſſe reor in pluteis Magnæanis, ſingulari Bibliothecæ Univerſitatis Havnienſis ornamento, & una cum reliqvis paſſim in patria in privatis pluteis, qvorum minimam tamen partem mihi excutere licuit, ad qvos aditus mihi a poſſeſſoribus qvibusdam benevole conceſſus eſt; qvæ ſingula publicæ luci, nondum impetrata poſſeſſorum venia, qvum omnes eo animo non ſint, ut cimelia ſua cuivis exponenda cupiant, ſiſtere integrum mihi eſſe non putavi; id qvod & parum commodi ſecum allaturum ſpero, qvum deficientibus hic Bibliothecis publicis libri ab uno loco in alium transferri ſoleant, qvoties vel novos nanciſcuntur dominos, vel ſedes ipſi poſſeſſores mutant. Qvoniam deniqve Hiſtoriam Literariam commendare ſolent Biographiæ virorum, qvi ob egregia, qvæ poſteris reliqverunt, doctrinæ ſuæ ſpecimina, excelluiſſe putantur, ideoqve qvorundam præcipua vitæ momenta huic opusculo inſerere jam pridem conſtitui; verum qvum

id

id paſſim in ſua Hiſtoria Eccleſiaſtica S. V. D. *Johannæus* jam feliciter præſtiterit, actum jam agerem, ſi laudati viri Biographias exſcriberem, contentus nunc unius tantum alteriusve viri præcipua fata, præſertim ſi ab aliis omiſſa fuerint, leviter percurrere. Res eſt profecto ardua, (ut mea faciam *Plinii* in Præfatione ad Veſpaſianum verba) vetuſtis novitatem dare, novis auctoritatem, obſoletis nitorem, obſcuris lucem, faſtiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus vero naturam & naturæ ſuæ omnia; itaqve etiam non aſſecutis, voluiſſe, abunde pulchrum atqve magnificum eſt. Mihi proinde glaciem rei arduæ ſi non frangenti, proprio certe ut plurimum Marte pugnanti, veniam ab æqvis rerum æſtimatoribus optans & ſperans, etſi forte exemplarium & teſtium fide aliqvando deceptus atqve ideo hallucinatus fuero; ecqvis enim mortalium ab errandi periculo tam remotus eſt, ut ei vel maxime invito non interdum obrepant veri jactura tenebræ? Hoc unicum colophonis loco addere

 libet,

libet, Typothetarum, ſi qvæ erepſerunt, menda mihi, centum aliqvot milliaribus abſenti, non imputanda, & putare me operæ pretium feciſſe, ſi aliis, otium qvibus & largior ſupellex & ingenium felicius conceſſa ſunt, meo exemplo calcar addam, hanc hiſtoriæ patriæ particulam completiorem & accuratiorem adornandi; rem autem mihi pergratam fieri, ſi de nævis amicè admonitus, rectiora edocear, qvod & grato animo iteratæ hujus libelli editioni, ſi vires & anſam Deus concesſerit, inſerendum curabo. Vale, Lector Benevole, & conatibus meis fave! Scripſi Holis, ſede Episſcopali in Islandia Boreali, pridie Id. Sextiles anno p. n. Chr. MDCCLXXV.

CON

CONSPECTUS.

SECTIO I.

De studio Islandorum Philologico & Scriptis eo pertinentibus.

SECTIO II.

De studio Islandorum poëtico, & auctoribus præcipuis, qvi in ligata oratione scripserunt.

Membrum I.

Mem-

Membrum 2.

Poëtas & Scripta post Reformationem sistit.

α) *Sacri argumenti.*

§. 2. exhibet Poëtas, qvi Libros S. Scripturæ regulis metricis subjecerunt.

§. 3. Varia opera Theologica ex soluta in ligatam orationem transmissa recenset, itemqve auctores, qvi hymnos matutinos & vespertinos per septimanam canendos vel transferebant, vel concinnabant.

§. 4. Varias hymnorum & carminum sacrorum collectiones in medium producit.

β) *Argumenti profani.*

§. 5. Sistit Poëtas, qvi varia carmina, argumenti imprimis historici, concinnarunt.

§. 6. Indicat aliqvot, qvi Poëseos Latinæ varia post se reliqverunt specimina.

SECTIO III.

De studio Islandorum Historico.

§. 1. De scriptis Islandorum historicis in genere & eorum divisione.

Membrum 1.

Exhibet Syllabum historiarum, omni vel maxima ex parte ante dimidium Seculi XVI. concinnatarum.

§. 2.

§. 2. Indicat hiſtorias exoticas, vel qvæ potiſſimum concernunt regna & primarias perſonas extra Scandinaviam.

§. 3. Legendas ſive hiſtorias Sanctorum.

§. 4. Hiſtorias Scandinaviæ.

α. Daniæ.

β. Seciæ & Gothiæ.

γ. Norvegiæ in genere & ſpecie.

δ. Islandiæ & Grönlandiæ.

a. Generales.

b. Particulares.

§. 5. Enumerantur Islandorum Annales.

§. 6. Scriptores Genealogiarum & Geographi.

Membrum 2.

Scripta qvædam poſt Reformationem hiſtorica ſiſtens.

§. 7. Introductio ad hanc hiſtoriæ particulam.

§. 8. Annalium Scriptores ſiſtit.

§. 9. Scripta exterorum hiſtorica in lingvam Islandicam translata.

§. 10. Scripta, qvæ antiqvitates & hiſtorias noſtri potiſſimum Septentrionis illuſtrant.

§. 11. Adferuntur Scripta, qvæ α) generalem Islandiæ notitiam ſuppeditant, & β) ſpecialem.

§. 12. Scripta Grönlandiæ hiſtoriam illuſtrantia.

§. 13. Hiſtoriæ fictæ recentiorum temporum.

SEC.

SECTIO IV.

Scripta qvædam Philoſophica, & in ſpecie Phyſica, Medica, Mathematica, Oeconomica & Moralia ſiſtens.

SECTIO. V.

De ſtudio Islandorum Juridico, & Scriptis eo pertinentibus.

Membrum. 1.

Scripta exhibet Juridica ante Reformationem.

§. 2.

Membrum. 2.

Scriptores Juridicos poft Reformationem exhibet.

SECTIO. VI.

De Studio Islandorum Theölogico, librisqve Theologicis.

Membrum I.

Statum Literaturæ Theologicæ ante Reformationem fiftens.

Membrum 2.

De Scriptis Islandorum poft Reformationem Theologicis.

CONSPECTUS.

SCIAGRAPHIÆ
HISTORIÆ LITERARIÆ
ISLANDICÆ
PRIMÆ LINEÆ.

SECTIO I.

De ſtudio Islandorum Philologico, & Scriptis eo pertinentibus.

§. 1.

Cum vox, qvæ a Philoſophis articulata audit, nos homines a brutis utcunqve diſtingvat, ejusqve beneficio animi noſtri ſenſa exponere liceat, idqve ut perſpicue, ut recte, ut copioſe, ut ornate tandem fiat, in nobis aliqvatenus ſitum ſit; is qvi parum intereſſe putat diligentem & exqviſitam eorum tractationem, qvæ Philologiam ſpectant, ad veram doctrinam humaniora ſtudia & communem utilitatem, vehementer errat; Sermone enim, modo rite intelligatur, cogitationum interprete, egregioqve ſocietatis humanæ vinculo, & qvæ ignoramus diſcere, & qvæ ſcimus alios edocere poſſumus: Interim licet lingvarum ea

ſit conditio, ut una perfectior altera, hoc aliove reſpectu non de nihilo exiſtimetur, nulla tamen adeo perfecta eſt, qvamdiu ideis diverſo modo ſubnatis inſervire, variisqve rerum minutiis aut ſubtilioribus diſtinctionibus per terminos exprimendis reſpondere aut ſatisfacere debent, communi uſu adhibita vocabula, qvin ſterilitatis cujusdam & inopiæ ab Oratoribus, Poëtis & Philoſophis poſtulari qveat; unde gentes plerasqve, certe politiores, operæ plurimum tum in vernacula excolenda, tum exoticis, (iis etiam qvæ mutæ qvibusdam ſalutantur, ut hodie ſunt lingva Ebræa, Græca & Latina) diſtincte proponendis & explicandis conſumſiſſe eo certius affirmare liceat, qvo plura exſtant hujus rei teſtimonia, & inſtituta lingvis, utpote ſcientiarum vehiculis, nunc, ut olim, expoliendis Sodalitia. Si oculos converto ad meos συμπατριώτας *Islandos*, certe, ut cæteris ſcientiis, ita lingvis, tum patriæ, tum exoticis, haud modicam navaſſe operam, mecum, ut mea fert opinio, confitebitur, qvi ad ea, qvæ ſeqvuntur, attendit.

§. 2.

Priusqvam vero ad ſpecialia nos demittimus, lingvæ patriæ, (qvæ Danica qvondam appellata, Scandinaviæ partiqve Angliæ communis) rationem primum habentes, in genere notamus, hanc lingvam una cum Norvegis, qvi hanc inſulam maxima ex parte Seculo IX. & ſeqv. occuparunt, ſedes heic ſuas fixiſſe, ſatis, qvantum conjicere licet, puram, &, primis poſt introductum Religionis Chriſtianæ exercitium Seculis, a viris doctis & critices non expertibus, raro aliarum, qvæ Septem eo tempore ſubjacebant trionibus, natio-

num

num exemplo, cultam, qvinimo hoc & duobus proxime præcedentibus Seculis, ut a prima ſua puritate, ob inita cum exteris commercia, & commune illud nimiumqve ſæpe ſerpens exotica, in rebus vel leviſſimis imitandi cachoëtes nonnihil degenerare videbatur, qvod varia tum edita tum inedita conterraneorum opera inferius adducenda teſtatum facient, ſi non priſtino nitori & puritati redditam, certe propius accedentem, unde hodieqve in patria noſtra parum aut minimum, ſi rem generaliter expenderis, & ejus fata cum fatis exoticarum plerarumqve lingvarum contuleris, immutatam ſupereſſe, qvamvis & ſuas in Qvadrantibus Inſulæ, rariores tamen, dialectos, nonnullasve in ore vulgi, qvæ veterum auctoritate minus ſtabilitæ ſunt, anomalias agnoſcat, & qvasdam temporum lapſu voculas peregrinas adſciverit.

Scio hinc qvosdam de iniqva indignaqve Danicæ Lingvæ in patriam meam illatæ primum incorruptæ, ſed temporum lapſu & inito cum exteris, etiam illa, cui nomen primitus debuit, nationibus commercio fœdatæ, imo, extrema propemodum agentis, fatorum ſerie conqveri, vix hodie cum dentur, qvi ſine vitiis ſcribant, nedum loqvantur eam inqvilini, & in carminibus veterum explicandis operam ſuam vel fruſtra collocent vel ineptiant potius. Sed bonos iſtos viros nonnihil hallucinari, pauca, qvæ adferam, veteri noſtratium lingvæ excolendæ monumenta, a conterraneis adornata, non tantum ſvadebunt, ſed qvod libri proſaici, qvinqve retro Seculis & qvod excurrit, exarati, abs tantum non omnibus etiam indoctis intelligantur, lectitenturqve,

& libri, inprimis Theologici, pleriqve hoc & præterlapſo Seculo confecti, qvotidie terantur, qvi, ſi non ubivis ad elegantiam veterum qvorundam hiſtoricorum exſurgant, certe cum fructu legi & audiri potuiſſe a conterraneis meis ante ſexcentos annos natis, ob ſummam, dum utrasqve temporum periodos, & ſcripta, iis fere coæva, contulero, & dictionis, phraſium & conſtructionis paritatem, nullus dubitaverim: Sed qvantum ſedula librorum lectio faciat ad ſermonem efformandum, juxta mecum qvotus qvisqve eſt, qvi non intelligat? Multos vero in communi ſermone veterem elegantiam, terſam illam & limatam, qvam qvædam monumenta præ ſe ferunt, ubivis exprimere, tantum abeſt ut contendam, ut potius voces & phraſes peregrinas qvibusdam in locis, ubi commercia nimirum cum exteris potiſſimum exercentur, in qvotidianum, non vulgi tantum, ſed eorum, qvi ſupra vulgus ſapere putantur, irrepere ſermonem merito dolere ſibi videantur ſtudii antiqvarii hyperaſpiſtæ & admiratores. Porro: veterum carmina qvod attinet, rariores eſſe concedo, qvi nonnulla eorum rite enodaverint; id qvod mirum haud qvaqvam exiſtimo, cum is ſit poëſeos Islandicæ genius, ut tricas & innumera fere artificia admittat, & in iis conſtruendis, animiqve ſenſis non raro celandis præſtantiſſimorum ingeniorum ſeſe diverſis modis exercuerit ſolertia, qvos verborum mæandros vel doctiſſimi noſtratium, artis parum gnari, vix ac ne vix qvidem aſſeqvuntur; adde qvod pleraqve veterum monumenta, inprimis poëtica, ſcribarum, qvos prior & poſterior ætas tulit, cura minus

minus diligens & inscitia ad nos multum in modum depravata transmiserit: qvinimo, qvod non minus ac veteres etiam nostra ætate florentes poëtæ, synonymis, phrasibus & perplexis ex Mythologia Eddica petitis circumlocutionibus, nec non allegoriis & allusionibus, ex vetustissima partim historia, partim religione gentili deductis, animi sensa obscurare soleant, adeo ut vel Oedipo, artificii puta callentissimo, sit & fuerit opus conjectore. Fateor, nec hoc dissimulandum est, in veterum monumentis, inprimis autem in Legibus antiqvissimis & Edda, qvasdam occurrere voculas, a plebejo usu remotiores, interpretum cruces, & non nisi rerum oppido peritis intellectas, etiam ex hodierno Danorum Dialecto, affiniqvæ Germanica, nec non Latina & Gallica Lingva, qvasdam sed paucas, in actionibus inprimis forensibus, adoptatas, & nonnullis, præfiscine dixerim, nimium adamatas: Sed num idem puritati nostræ lingvæ, a compluribus tum libris in publicum editis, tum tersis e suggestu habitis orationibus, communiqve plurimorum usu servatæ plus in genere derogabit, qvam Romanorum (qvi & obsoleta, etiam cum ætas ex præstantissimis metallis denominata summos dicendi artifices, & classica cultioris styli exempla protulit, fastidiebant, vocesqve & phrases a Græcis vel integras civitate sua donare, vel suæ lingvæ accommodare non dedignati sunt, certis vocibus & vocum formulis imperitæ plebi relictis) exoticarum vocum usus, & ubi opus erat ονοματοποιησις castigatissimo dicendi generi, aliis judicandum relinqvere, si hæc lis nondum perorata sit aut di-

remta, qvam meum interponere judicium malim, qverelas, nonnihil, me judice, præmaturas qvorundam, certis rationibus inductus, obelo tantum hoc loco notaturus.

§. 3.

Ubi in scriptis Philologicis recensendis, ac primo qvidem, qvæ lingvam Islandicam concernunt, versamur, nomina rerum agmen nobis ducunt, adeoqve *Lexicographi* primum, nempe qvi Vocabularia Islandica conscripserunt, in scenam prodeant; qvorum, ratione temporis habita, non sine laude primus nominandus est vir doctissimus & clarissimus *Magnus Olavius* (a), qvi *Specimen Lexici Runici* adornavit, qvod post obitum auctoris a Celeberr. Danorum Polyhistore Olao Wormio editum fuit Havniæ in Fol. Anno 1650. Excipit hunc *Gudmundus Andreæ*, qvi adornavit *Lexicon Islandicum*, post mortem auctoris (b) editum, Viri Nobiliss. & Consultiss. Petri Resenii auspiciis Havniæ in 4. 1683. qvibus addere, si libet, licet *Monosyllaba Islandica* per *Johannem Johannis Rugmannum*, Antiqvarium apud Svecos Islandum, edita 1676. (al. 1666.) (c) qvo & pertinent *Glossaria*, qvæ suis de Baptismo & cognatione Spirituali Differtationibus nec non *Landnamabok* s. libro originum Islandiæ Hafn. 1774. edito, Doctiss. *Joh. Olavius* Hypnonesio-Isl. subjecit, & deniqve *Indices Vocum & loqvendi formularum* in *Kristni-Sagam* & *Gunnlaugi Vermilingvis Vitam* a Dno *Johanne Finnæo* maxima ex parte adornati; qvibus jungendus similis argumenti *Index in Jus Ecclesiasticum Islandiæ Thorlako-Ketillianum* a *Grimo Johannis Thorkelino* cum eodem editus.

Inter

Inter *Inedita* referri possunt: 1) *Lexicon Islandico-Latinum* Mag. *Joh. Arnæi*, Episcopi Skalholtensis, qvod multò prioribus locupletius commodo juventutis scholasticæ destinaverat; qvod & manibus alumnorum scholæ Skalholtinæ, cum ibi agerem, terebatur. Unum ejus apographum Hafniæ in Bibliotheca illustris *Langebeckii*, alterum, qvod Dn. *Troilius* exscribi curavit, in Sveeia extare, & deniqve tertium nuper in Angliam translatum esse accepimus. Cetera opus est tantum affectum. 2) *Lexicon Islandicum Gudmundi Olavi*, apud Svecos Antiqvarii, cujus mentionem facit celeber. Dallin in Differt. de Antiqvariis Sveciæ. 3) Compilavit porro *Lexicon Isl. Johannes Olavius* Grunnavicensis indefessus Antiqvitatum Studiosus, qvi vocum veterum & poëticarum, præ reliqvis, rationem habuit: Præiit illum pater *Olavus Johannis* fil. Pastor primum Cathedralis Skalholti, & deinde Stadensis in Grunnavik, fato functus 1707. qvi Vocabula incipientia ab A. in formam Lexici collegit. Summam vero patriæ lingvæ in derivatis & compositis fœcunditatem ostendit Dn. *Einarus Halfdani* (verbi Dei Minister ad Cœnobium Kirkebajense, & Normarchiæ Skaptafellensis Præpositus, qvi ob. d. 17. Martii 1753.) in Commentario Msc. ad Verbum *Eg-ber* (fero.) Huic merito jungi debet *Johannes Finnæus*, Ecclesiastes Skalholtensis & Dioecefeos Skalholtensis Præpositus generalis, qvi annis 1767-1770. dum in Islandia morabatur *Lexicon Islandicum* convasare coepit, primasqve literas A. B. & D. absolvit, qvarum specimen exhibent voces *bord* & *ek dreg*, *qvas* in indicem Vocum ad *Gunnlaugi Ormstungæ vitam* autor inde transtulit. Præpositus *Hiorleifus Theodori*, *indicem*, in Nucleum latinitatis *Islandicum* concinnavit, simlemqve in *Verba Stephani* Pau-

us. Jacobi Conrector Skalholtensis, qvem etiam ad modum Præpositus Gullbringensis *Gudlaugus Thorgeiri* Weismanni Lexicon Islandice vertere aliqvando coepit, qvod qvousqve perduxerit nobis non constat.

(a) Fuit primum 1621. Rector scholæ Holanæ, & 1622. Pastor Laufasinus, donec Anno æt. 63. completo post natum vero Christum 1636. d. 22. Julii diem obiret supremum. Conf. *Worm*, Lex. Lit.

b) Curriculum vitæ ipsius exhibet *Resenius* in Præf. ad Lexicon.

c) Præcipua vitæ ejus momenta proseqvitur Exc. & Celeberr. *Dallin* in Dissert. de Antiqvariis Svecorum insertâ Biblioth. Lübec. Vol. 11. pag. 332. 333.

§. 4.

Porro, cum Vocabula multa, qvæ vel in desvetudinem abierunt, vel obscuritate qvadam laborant, vel de qvorum etymo dubitari possit, in antiqvis Legum Codicibus, & speciatim Codice Legum Islandicarum, Magno Norvegiæ Regi, Legum Emendatori dicto, adscriptarum, occurrant; in iis explicandis operam suam ex professo posuerunt 1) *Bardus Gislavi* in Commentario suo *de obscuris Legum terminis & dubiis casibus.* 2) *Gislavus Johannis* Melrackadalensis, & 3) *Biörno Johannis* Skardzaënsis in explicatione Terminorum legis antiqvorum, 1626. ad finem perducta. (a) Hunc vero laborem aggressus est majore

re doctrinæ & librorum apparatu *Paulus Joh. Widalinus*, (b) cujus *Archæologiam* Juridicam compluribus constantem dissertatiunculis (qvarum centuriam ad manus habui) præclarissimum opus, & varia eruditione refertum (qvamvis nec ad umbilicum perduxerit, nec ultimam eidem manum imposuerit b. auctor, vastam lectionem judicii dexteritate commendans) magis circa Philologiam antiqvam versari qvam jurisprudentiam forensem recte monet Nobliss. & Consultiss. borealis & occidentalis Islandiæ Nomophylax Dn. *Sveno Sölvius*, in præfamine ad suum *Juris* Islandici *Tyronem*. Laudatæ Archæologiæ s. Glossarii ἀνοσπασμάτα qvædam publici juris facta sunt & inserta *Joh. Arnæsonii* Historicæ Introductioni Processus Islandici; ut *commentationem de lingva Danica*, qvæ eo pertinet, ad calcem *Gunnlaugssagæ* editam, taceam. Singulares exstant Tractatus *Eyulfi Johannis* f. Parochi Vallensis de vocibus: *Fiörbaugr*, *Bondi*; ut & plurium, qvi certam qvandam Voculam sibi illustrandam sumserunt, qvos hic prætereo.

(a) *Libellum etymologicum* lingvæ Islandicæ ab eodem *Biörnone* elaboratum, naufragio periisse, sed O. Wormio missum, testatur *Thorlacus Skulonis* Episc. Hol. in Epistola ad Wormium d. 3 Septembr. A. 1636.

(b) *Paulus Johannis Widalinus*, doctissimi *Arngrimi* de filia nepos, tyrociniis in schola Holana positis, Academiam Havniensem salutavit an. 1686. eidemqve triennio elapso, postqvam Examine Theologorum publico fuit defunctus, valedixit, Anno 1690. Rectoratum Scholæ Skalholti-

holtinæ adiit, & eundem ad annum 1697. gessit, qvo anno (*) Choronomus Dalensis, Nomophylaxqve Islandiæ orientalis & meridionalis designatus constituebatur. Anno 1702. ab augustissimo Rege Friderico IV. (gl. mem.) jubetur una cum celeberr. *Arna Magnæo*, Profess. & Archiv. Regio, varia negotia patriæ utilitatem promotura suscipere, & speciatim villarum & prædiorum totius Islandiæ, canonibus & accidentiis cujuscunqve villæ notatis, designationem vel matriculam conficere, eo demum labore anno 1714. defunctus. Nomophylacis officium adiit laudatus Widalinus anno 1705. & in Comitiis, qvæ Thingvallis ad amnem Öxaraa qvotannis celebrantur, sexagenarius obiit d. 18 Julii, anno currentis seculi vigesimo septimo, insignis sui temporis Jurisconsultus, Antiqvarius & Poëta.

§. 5.

Onomasticorum Islandicorum præcipui compilatores sunt *Otto Ottonis*, Pastor Stadensis in Grindavik per 15. annos, deinde Reynevallensis ad annum 1642. vivis exemptus anno 1649. Medicus & Poëta clarus, cujus *Onomasticon* ejusdem pronepos laudatus *Eyulfus Johannis* adauxit. *Onomasticon Pauli Joh. Widalini*, qvod viginti abhinc annis, possedi, voces aut

(*) Choronomus indicat judicem ad primam instantiam, & tributorum simul exactorem, in certa aliqva Præfectura, vernacule Syslumadr. Nomophylax, veteribus Legifer, judicem superiorem, toti vel dimidio insulæ præfectum, vulgo Lögmadr.

aut nomina propria ex genuinis lingvæ maternæ fontibus derivat, cum illud *Ottonis* & *Eyulfi* ad fontes lingvæ Hebreæ interdum recurrat. Laudati vero Dn. Ottonis abnepos *Gudmundus Hugonis*, Paſtor Veſtmanneyenſis, Onomaſticon Islandicum nuperrime compoſuit, ubi in nominum enodatione & etymo a prioribus non raro diſcedit; Qvæ tamen omnia *Johannis Olavii* Grunnavicenſis *Onomaſticon*, magni ſatis moliminis opus, haud parum ſuperat. *De nominibus propriis & veterum Septentrionalium cognominibus* egit Commilito qvondam meus honoratiſſimus, dein Profeſſor Juris in illuſtri Academia Sorana Regius Dn. *Johannes Erici*, tractatu ſpeciali, qvi prodiit Havniæ 1753.

§. 6.

Qvantum Adagia & certæ loqvendi formulæ non tantum in vita civili apud imperitos valeant, ſed etiam qvantum interſperſis, qvibus abundare ſolent, ſloſculis allegoricis, ironicis & metaphoricis, orationem noſtram exornent, detegantqve non raro rituum & opinionum veterum fontes, perſpexiſſe conterraneos meos dubitare non ſinunt, qvi ex illorum numero adagiis & phraſibus elegantioribus vernaculis operam ſuam colligendis impenderunt. Hos inter *Johannes* (noſtratibus *Hannes*) *Thorlevius* qvi 1679. Collectionem adagiorum abſolvit, & Hiſtorici Regii Axiomate (ut mihi relatum) mactatus, Havniam repetere voluit 1682. qvo anno obiit (a). Adagia qvoqve Islandica collegit laudatus *Gudmundus Olavi*, teſte Dallino, Diſſert. cit. Duumviros autem iſtos in eodem compilandi genere vicit Dn. *Eyulfus Vallenſis*, cujus *Adagiographia Arctoa*

3000

3000 circiter adagiis & phrasibus constans, nonnullis centuriis adaucta me penes est. Exstant praeterea variae adagiorum Collectiones, tum in soluta oratione, ut *Joh. Olavii Grunnavicensis*, *Olavi Gunnlaugi* F. Doctissimorum *Eggerti*, *Johannis*, & *Magni Olaviorum*, hinc inde excitatorum patris, qvi senectutis suae refugium nactus est apud generum suum Dn. *Biörnonem Halthoridem* Bardastrandensis Praefecturae Praepositum, & *Olavi Bryniolfi*, Ecclesiastis Gardensis in Akraneso; tum in ligata, *Biörnonis* sc. *Skardsaënsis* & *Joh. Halfdani*. e Schola Holana dimissi, tum deniqve aliae minores anepigraphae, qvae in Catalogo Bibliothecae Magnaeanae, & passim in patria deprehenduntur.

(a) V. Rostgaardii Biblioth. P. II, Mss. ad No. 1038.

§. 7.

Non vero substitit Islandorum in Lexicis adornandis, adagiis colligendis, Onomasticis conficiendis, & terminis, qvi obscuriores sunt, explicandis industria, sed arti criticae operam suam sine dubio navarunt, e veteribus *Thoroddus* dictus *Runa-Meistari*, ɔ: Grammaticus, qvod ei cognomen, ut Saxoni Dano, ob eruditionem & lingvarum peritiam imposuisse videtur antiqvitas: &, post *Arium Thorgilsi* f., Polyhistoris axiomate a veteribus cohonestatum (a), *Olavus Theodori* Valdemari IIdi Daniae Regis aulicus, auctor Tractatus *de Orthographia Islandica*, qvi inferi solet Eddae prosaicae parti ultimae. (b) E. Recentioribus vero post introductum Religionis per b. Lutherum repurgatae

exer-

exercitium, lingvam patriam illuſtrarunt *Sigurdus Stephani*, Scholæ Skalholtinæ Rector *Tractatu de recta* lingvæ Islandicæ *ſcriptione* (c), item, antea laudatus *Johannes Olavius* Grunnavicenſis, idem thema pertractans. *De diviſione* vero *Vocalium* Doctiſſ. noſtras *Arngrimus Johannis* (Jonas, ut ipſe interdum ſcripſit) *Widalinus*, itemqve de literis Runicis diſſeruit. (d) *De literis* etiam *Danorum runicis* brevem Tractatum concinnavit *Thorlacus Skulonis* Epiſcopus qvondam Holenſis (e), pleniorem vero 1732 ſub *Runologiæ nomine Johannes Olavius*, proxime laudatus. *Colloqvium Biörnonis Joh. f.* Skardzäenſis *de Runis* exſtitit in Catalogo Mſſ. fratrum *Salanorum* qvod & nuper videre contigit; *De lingvæ Septentrionalis elementis* Diſſertationem edidit Havniæ 27 Aug. 1651. *Runolphus Jonæ* Philoſ. Mag. Rector primum Scholæ Holenſis, dein Chriſtianſtadenſis in Scania, ubi fatis ceſſit 1654. qvi etiam *Grammaticam Islandicam* adornavit, editam Havniæ 1651. & auſpiciis *G. Hickeſii* Eqv. Angli recuſam Oxonii 1689. Alteram qvoqve *Grammaticam Islandicam* conſcripſit vir ille literatiſſimus *Johannes Magnæus*, Paſtor primum Hiardarholti, deinde Choronomus Strandenſis, Celeber. *Arnæ Magnæi* germanus frater, poſtqvam lubricas fortunæ vices ſæpius expertus erat, die 7 Octobr. anni 1738. apud filium ſuum Dn. Snorronem, cætus Helgafellenſis Parochum & vicinorum Præpoſitum, deceſſit; *cenſuram autem in hanc Grammaticam* cum *vita autoris Joh. Olavius Grunnavicenſis* ſcripſit. Dictiones deniqve & loqvendi modos in Orientali & Meridionali Inſulæ qvadrante, alibi raras & fere inauditas, colloqvio, cui Titulus: *Geſtr-ok Gardbui*, inſeruit laudatus Præpoſitus *Einarus Halfdani*, qvod tamen colloqvium ad finem

finem non perduxit, cum in ejusdem adverſariis, ſeu cella penuaria, unde cætera depromſit, multas phraſes vocesqve rariores Orientali qvadranti tanqvam proprias, dicto vero colloqvio non inſertas, inferendas tamen, ſi ob ætatem licuerit, deprehenderim. Noviſſime Tractatum de Orthographia Islandica conſcripſit *Eggertus Olavi*, patriæ ſuæ deſignatus Nomophylax, qvi veteris lingvæ & Orthographiæ in opusculis editis, ſedulus imitator erat.

(a) Vid. Addenda Præf. Reſenianæ ad Eddam. Thoroddum & Arium conjungit Auctor Tractatus de orthographia Eddæ annexus de literatura Runica bene meritus.

(b) Hic *Olaus Albus-Poëta* (*Hvita-Skalld*) dictus, auctoritate *Thordi Kakale* totius Islandiæ eo tempore Præfecti, ſupremam jurisdictionem nactus eſt, Nomophylacisqve officium juxta Annal. adiit 1248. & iterum 1252. v. *Sturl. hiſt.* Lib. VII. Cap. XLIIX. Knytl. Cap. CXXVII. Olaus obiit ſec. ann. 1259.

(c) V. Biblioth. Reſen. p. 318.

(d) Teſte *Reſenio* in Præfatione ad Eddam.

(e) Fuit hic Tractatus in Biblioth. Roſtgaard. v. Catal. P. 11. Mſſ. ad No. 1023. ad numerum vero ejusdem Catalogi P. 11. 1029. excitantur *Anonymi* cujusdam Islandi *Expoſitiones Alphabeti Gothici*, it. *Tractatus de literatura transpoſitoria Islandorum.*

§. 8.

§. 8.

Poësin Islandicam, ut difficilem valde, ita ſuis gaudere non metrorum tantum generibus plurimis (a), ſed floſculis & loqvendi modis propriis, imo mythologia, a Romana illa & Græca diverſa, religionem tamen gentilem & ritus priſcorum borealium illuſtrante, doctis jam dudum viris obſervatum eſt, fontesqve hujus Mythologiæ in utraqve *Edda* monſtrari. Merito itaqve, ubi ad ſcripta, qvæ naturam & leges poëſeos Islandicæ traduntexplicantqve, pervenimus, *Eddarum* mentio primum facienda. *Prior* variis odis conſtat, & communi fere recentiorum conſenſu *Sæmundo Sigfuſio*, qvem inter ſui ævi Polyhiſtoras numeravit Seculum XI. & XII. tribuitur, nunc ut auctori, nunc ut compilatori. Hujus Eddæ carmina, prout in Exemplari, qvod in Regio Holmiæ Archivo reperitur, deprehenduntur, *Joh. Peringſkioldius* Ann. 1701. in *Catalogo Mſcc. Scand.* illuſtri *Hickeſio* transmiſſo recenſet. Hæc perqvam vetuſta eſſe ab incertis auctoribus incertæ ætatis confecta, & poſt introductum Fidei Chriſtianæ in patriam exercitium a laudato *Sæmundo*, vel alio antiqvitatum borealium, qui illa conſervari, qvam cum Chriſtianismo interire maluit, ſtudioſo collecta, & in unum volumen redacta facile crederem (b). *Altera Edda Snorroni Sturlæo* communiter adſcripta, a *P. Reſenio* edita 1665. cum *Magni Olavi*, Paſtoris Laufaſini, *Stephani Olavii* Paſtoris Vallaneſenſis, & *Thormodi Torfæi* verſione, in Sectiones digeſta, opus genuinum *Snorronis Sturlæi* non puto, ſed Seculo demum XIV. ſi non concinnatam certe adauctam (c). Hæc abſolvitur (α) aliqvali introductione ad fontes Mythologiæ Septentrionalis, ubi etiam agitur de migratione

B Odini

Odini & Afarum in borealia ifthæc regna. (β) Hars-Lygi five Gilfa-Ginning, Colloqvio nimirum inter Odinum & Regem Gilfum. (γ) Colleqvio inter Bragerum Poëtam & Ægerum. (δ) Synonymis poëticis fimplicibus & compofitis, qvæ in antiqviffimis Codicibus, inprimis Wormiano probantur & illuftrantur; qvæ pars forte nihil aliud eft, qvam fynonyma poëtica, *Snorroni Sturlæo* in uno cod. Membr. *Biblioth. Magnæanæ* cimelio adfcripta, verum majorem in modum aucta, ut ex collatione liqvet. Adjungi debet his Libellus de Poëfi Islandica, recentioribus *Skalda* dictus, pars Eddæ profecto genuina, a reliqvo tamen corpore in editione *Refeniana* avulfa: cui præmitti folet *Tractatus* de *Orthographia*, de literis, earum numero & poteftate, de accentu, de dictionibus & ejus octo partibus agens. Ipfa vero *Skalda* agit Sect. I. de vitiis Sermonis Barbarifmo & Soloecifmo, de metaplafmo & ejus 14. fpeciebus, & de fchemate λήξεως qvod 17. fpecies in fe comprehendit. Sect. 2. agit de Tropo ejusqve fpeciebus, atqve habetur hic Rhetorica qvaliscunqve Islandica. Sect. 3. de metrorum fpeciebus agit, *clave metrica Snorronis Sturlæi* & ejusdem *Bragar-bot* in laudem Haqvini Regis & Ducis Skulonis adornata, exemplorum loco ut potiffimum adducta, adqve finem operis conjicienda. Qvæ jam circumfertur Skalda, *Gunnlaugo Leifi* filio Monacho Thingeyrenfi a *Biörnone* Skardzaënfi & Doctiff. *Br. Svenonio*, Epifc. Skalh. in Obfervationibus ad titerat. Danicam *O. Wormii*, fed minus recte adfcribitur, cum perfonas nominet Skalda, infra ætatem *Gunnlaugi* florentes; potius Codici Eddico Wormiano, qvæ *Snorro Sturlæus* & *Olaus Theodori* de *Orthographia & Poëfi* tradiderunt, a

recen-

recentiore qvodam inserta sunt. Non tamen penitus eam laudem denegaverim *Gunnlaugo*, qvam laudati Duumviri ei tribunt, nimirum qvod aliqvid scripserit, ad Grammaticam vel prosodiam Islandicam pertinens, modo ei non tribuatur *Skalda*, prout nunc habetur; ut nec *Snorroni appendicem Eddæ a Sæmundo* cæptæ prorsus abjudicaverim, nec eorum curis & studio indignum aut incongruum laborem aliqvid de Mythologiis Septentrioni nostro propriis & poësi colligere censuerim, modo de αὐθεντία monumentorum, qvæ hoc adstruant & laudantur ab *Arngrimo Joh. Widalino* in Epistola ad D. *Ol. Wormium*, scripta 11 Aug. 1638. constaret, & simul concederetur *Eddam prosaicam*, prout hodie circumfertur, opus genuinum *Snorronis* non esse. Si igitur qvædam fides habenda monumentis, nescio tamen qvibus aut qvalibus, qvæ laudat *Arngrimus* in Ep. cit. crederem Sæmundum fabulas primum in literas retulisse, easqve ex vetustissimis Odis & traditionibus collegisse, *Snorronem* vero adjecisse tractatum superius indigitatum de synonymis poëticis, qvam tamen conjecturam, ubi aliud & rectius edoctus fuero, libenter deseram (d). Edda a *Resenio* edita, ut ultima sui parte destituitur, ita & sæpissime probationis & exemplorum loco adductis carminibus, qvæ in scriptis qvibusdam Codicibus habentur, & non æqve completam esse ac eam, qvæ deprehenditur in Bibliotheca Gwelferbytana Ducali, asserit *William Nicolson* Archidiac. of Carlisle, in suo *Englisch Historical-Library* P. 1. p. 139. Cf. *Acta Erud.* Lips. m. Jan. 1697. p. 27. seqv. & *Nicolson* l. c. P. I. p. 137-140. ed. 1696. Affundunt insuper lucem poësi Islandicæ variæ metrorum claves, qvarum præcipuæ *Sturlæa* modo laudata metris vel potius car-

minibus C. conſtans, & *Lopti Guttormi*, Nobilis Islandi, Chriſtinæ Ottonis filiæ dicata *clavis*; *Mariana* deniqve, ſive clavis dicata B. Virgini, & in ejus honorem confecta a *Joh. Pauli*, curione Grenjadarſtadenſi. Recentiorum ſunt claves metricæ *Thorſteni Magni* Hælenſis, *Gudmundi Olavi*, *Thorlaci Gudbrandi*, *Bernhardi Olavi*, *Joh. Gudmundi*, Parochi ultimo Reykiadalenſis, cæterorumqve. Præterea jam poëtarum, qvorum feraciſſima fuit Islandia, inprimis borealis, multitudinem, qvi aliud velut agendo nitorem poëſi patriæ conciliarunt, inferius ex parte commemorandi (e). *De poëſi Islandica* brevem qvidem ſed egregium Tractatum conſcripſit *Gudmundus Hugonis* (f), verbi Dei apud Veſtmanneyenſes hodie Præco, idem qvoqve ſaxum antea non ſine laude volverunt *Magnus Olai* Lauſaſinus, & *Thorlacus Skulonius* Epiſcopus.

(a) Metrorum & Carminum variationes in lingva Islandica qvam plurimas adhibere licet, & ſcio ex ſuperſtitibus antiqvioris ævi monumentis ultra C. metrorum ſpecies numerari: Sed triplo vel qvadruplo majorem numerum variationum metricarum ſine dubio deprehendet, qvi recentiorum temporum poëmata diligenter perluſtraverit.

(b) Poſtqvam hæc ſcripſi, commode mihi in manus venit vita Sæmundi Sigfuſini, a Doctiſſ. *A. Magnæo* conſcripta, cujus verba, cum meæ ſententiæ faveant, & rem fuſius exponant, non poſſum non huic loco inſerere: „ Sæmundum (verba ſunt *A. M.*) odas haſce compoſuiſſe antiqvitates mihi viſæ ſimiliter tacent; nec veriſimile „ eſt,

„ eſt, Eddæ Snorronis, ut vocant ſcriptorem il-
„ las tanqvam ignoti auctoris, contra ſuam
„ aliorumqve veterum conſvetudinem, qvi poëta-
„ rum potius qvam carminum nomina, ubi de
„ utroqve conſtat, adducere ſolent, allegaſſe,
„ niſi earum artificem ignoraſſet, qvem, ſi Sæ-
„ mundus fuiſſet, neſcire vix potuit, nempe
„ 180. circiter annis illo tantum poſterior, qvo
„ temporis intervallo antiqvitatum ſtudia in Is-
„ landia maxime floruerunt. Sæmundo itaqve
„ longe vetuſtiores eſſe oportet, qvamvis de ſtu-
„ penda, qvæ eis adſcribitur antiqvitate, meri-
„ to dubitetur, cum *Reſenii* & *Runolfi* argumen-
„ to ſimili jure includi poſſint *Völu-ſpá* brevior
„ (alias *Hyndlu-liod*), *Faſnis-mál* vulgo dicta,
„ *Vafthrudnis-mál*, pluresqve harum odarum,
„ nunc expreſſis nunc ſuppreſſis nominibus, in
„ iisdem fabulis aliqvoties citatæ; qvarum tamen
„ prima dedicata eſt, (ut ipſa oſtendit) Ottaro
„ Stulto, qvi, ſi Originibus Norvegicis fides,
„ a Noro, Norvegiæ Eponymo, ſeptimo gra-
„ du deſcenderat." Et nonnullis interpoſitis
pergit celeberr. Auctor: „ Secunda recenſitarum
„ odarum colloqvium eſt inter Serpentem Fof-
„ nerum & ejus occiſorem Sigurdum, qvi ſe-
„ cundum Thorgilſi Plagipedis vitam, alias
„ Floanorum Hiſtoriam, Sigmundi Odini abne-
„ potis filius erat, qvas genealogias, qvamvis
„ ego pro incertis habeam, antiqvos tamen mag-
„ ni feciſſe conſtat. Tertia dictarum odarum,
„ ſermones qvidem Deorum tanqvam ex eorum
„ ore fluentes, refert, ſed rebus, qvas recenſet
„ ſe juniorem eſſe eo ſimul prodit, qvod omiſ-

 ſis

„ ſis qvandoqve illorum effatis ad hiſtoricas nar-
„ rationes tranſeat, ut: *abiit Odinus*; *intravit*
„ *Odinus*, & ſimilia; qvæ verba non ipſi Odino,
„ ſed acta ejus celebranti, tuto adſcribenda viden-
„ tur, qvalia & in ipſa *Völu-ſpá*, & memora-
„ tarum odarum plurimis paſſim occurunt: Non
„ itaqve exiſtimandum Eddæ Auctorem carmina
„ hæcce tanqvam a Diis citata adducentem, ea
„ Deorum ore fuſa aut Diis antiqviora crediſſe,
„ ſed potius ut ſe vetuſtiora in fabularum
„ poëticarum ſtabilimentum ipſum allegaſſe
„ ſtatuendum eſt. Qvod autem ad Odas
„ *Háva-mál*, *Grimnis-mal*, aliaſqve ſola Deo-
„ rum effata continentes attinet, eas ab ipſis Diis
„ compoſitas eſſe, inde ſtatim concludere non poſ-
„ ſum, qvod illos in prima perſona locutos
„ inducant, magis qvam Danorum & Svecorum
„ Reges chronica Rhytmica Danica & Svecica,
„ qvæ eos ſimili modo repræſentant. Veriſimi-
„ lius mihi videtur, memoratas odas Proſopoeiam
„ continere, Deorum perſonis ab alio longe re-
„ centiore affictam, qvod in pluribus veterum
„ carminibus forte obſervandum, qvæ ſcriptores
„ etiam antiqvi talibus locutionibus decepti, iis,
„ de qvibus agunt, tanqvam auctoribus adſcrip-
„ ſerunt. Neqve hanc ſententiam evertit, qvod
„ *Reſenius* Prolegom. in Edd. Isl. & in limine
„ Carminis *Háva-mál* ſcribit, illud nempe in
„ ſolenni convivio, cum Odinus apud Gilfonem
„ Sveciæ Regem hoſpitaretur, tanqvam pro
„ feſtivo delectamento recitatum eſſe, Nec qvod
„ ipſe Eddæ Auctor, a *Reſenio* verbis paululum
„ diſcrepans, Gilfonem Sveciæ Regem ſub

„ Gang-

„ Gangleri persona a Diis exceptum hæc carmina „ fudisse tanta accuratione memoret, qvanta Feniam & Mehiam carmen *Grotta-Saung* in molendino Frothonis composuisse, perhibet, qvod „ si diligentius examinetur, antiqvitatem Frothone seqviorem statim prodit. Tutissime itaqve credi autumo, eddicas hasce, ut vocant, odas, „ a Deorum cultoribus, imo, ut consultissimus „ antiqvitatum judex *Bartholinus* Antiqv. Dan. „ p. 192. statuit, diversis temporibus ab diversis „ in eorum laudes compositas, ac postea, cum „ Religio Christiana literarum notitiam secum in „ Islandiam invexisset, ab aliqvo, antiqvitatum „ studioso, ex ore hominum, istas memoriter „ tenentium excerptas, & ne perirent, in librum „ congestas esse, qvi, qvisnam fuerit, antiqvitates alto silentio prætereunt.“ Hæc *A. Magnæus*, qvi Sæmundo hanc odarum Eddicarum collectionem abjudicare videtur, ibidemqve *Gudmundi Andreæ* sententiam refutat, qvod Sæmundus Latinam Literaturam primus in Islandiam introduxerit, & qvod Edda e Runica literatura in vulgarem transscripta fuerit.

(c) Veritatem hujus rei accurate pensitarunt, qvi hic consuli merentur, auctores relationum de libris novis Danicis pro Ann. 1756. mensis Maji in Recensu Mr. Mallets Monumens de la Mythologie & de la Poësie des Celtes.

(d) Libet qvasdam Observationes B. *Arnæ Magnæi* Prof. in Acad. Havn utpote antiqvitatum nostratium peritissimi ex Commentario ejus in Schedas

Arii polyhiſtoris nondum edito deſumtas, licet prolixiores, apponere: „offert ſeſe (ita Celeberr. „ *Magnæus*) Edda, ut hodie vocant, Snorro- „ nis, qvæ cum a nonnullis Sæmundo itidem „ adſcribatur, paucis hic excuti meretur. *Arn-* „ *grimus* qvidem Crymog. pag. 82. illam Snorroni Sturlæo adſcribit, qvem ſeqvuntur *Wor-* „ *mius* in Præfat. Chron. Norveg. Snorronis, „ & in Syllabo Auctorum ante Lexicon Runicum, „ *Stephanius* Notis in Sax. p. 93. *Reſenius* in In- „ ſcriptione Eddæ Islandorum a ſe editæ, ubi „ 1215. præter ceteros tradit Prolegom. in „ eandem Eddam Isl. & Præfat. ad Carmen Vo- „ lu-ſpá ed Havn. 1673. & Lexic. Isl. *Gudm.* „ *Andreæ*. Ipſe tamen *Arngrimus* in Epiſtola „ qvadam, a *Reſenio* in Prolegom. ad Eddam Isl. „ allegata ejusdem auctorem facit Sæmundum „ Multiſcium, varia, ut credere par eſt, rela- „ tione diſtractus. — Talium traditionum non „ ignarus *Stephanius*, Notis in Saxonem p. 136. „ ſcribit, nonnullos Eddæ auctorem facere Snor- „ ronem Sturlæum, alios Sæmundum Frode. „ — Non multum prodeſt vulgares Islandorum „ opiniones, qvæ dictam Eddam hodie non Sæ- „ mundo ſed ſoli Snorroni attribuunt, heic an- „ nectere, dum vetuſtiora deſint teſtimonia, „ præcipue cum tam de hoc, qvam de illo, qvà „ Eddæ auctore dubitari poſſit. Ut autem ad rei „ veritatem propius accedere detur, monendum „ eſt, trinas hujus generis membranas, qvæ „ chartaceis Exemplaribus originem dederunt, ho- „ die inveniri. Harum una ex Islandia olim in „ Daniam, ac e Dania in Sveciam iterum trans- „ lata,

„ lata, Academiæ Upſalienſis Bibliothecam nunc „ ornat, de qva videatur *Loccenius*, Not. ad „ Hiſt. Svec. ed. Upſ. 1662. p. 3. *Hadorphius* „ de Apographo Donationis Teſtam. Comitis „ Magni de la Gardie Num. XI. *Verelius* Not. „ in Hiſt. Hervöræ p. 187, Alteram Upſalenſi „ paulo locupletiorem (v. Rudb. Atlant. p. 693. „ & Barth. Antiqvitt. Dan. p. 325.) ante memo- „ rati Bryniolfi Svenonii dono poſſidet Rex Da- „ niæ. Tertiam ipſe poſſideo, qvarta ſui parte „ prioribus auctiorem, illa ſcilicet, qvæ ſub „ Skaldæ nomine ab Ol. Wormio in Literat. Ru- „ nica ſæpius allegatur. Hanc Codicis Wormia- „ ni partem cum recentiores Islandiæ antiqvarii „ in reliqvis binis Codicibus abeſſe viderent, „ ſingularem tractatum eſſe crediderunt, & ideo „ diverſo ab Eddæ Auctore ſcriptori aſſignarunt. — „ (*Olaus Hvita-Skálld* & *Snorro Sturlæus* de arte „ poëtica qvidem ſcripſerunt; qvorum tractatus „ ſed mutilos in membrana poſſideo, & Olai „ certe eſt gnome illa Waldemari puta IIdi „ Hæc omnia poſtea compilavit, is, qvi Codi- „ cem Wormianum exaravit, multaqve de ſuo „ addidit in principio & fine.) - - - - Hanc „ ſæpe dictam Eddam locupletiorem olim exti- „ tiſſe volunt *Stephanius* in Not. in Sax. p. 16. „ ac ibidem ab eo allegati *Magnus Olai* & *Bry-* „ *nolfus Svenonis*, qvorum primi hæc ſunt ver- „ ba: *Imprimis eum* (Saxonem) *aliam Eddam*, „ *antiqviorem videlicet*, & *fabuloſis narrationi-* „ *bus inſtructiorem habuiſſe eâ*, *qvam hodieque tan-* „ *topere ſuſpicimus* & *admiramur*, *nullus ambigo*. „ Scilicet hæc credidit *Stephanius*, eo qvod Saxo

 „ de

„ de Diis multa narraret, qvæ in noſtra Edda „ non inveniuntur. *Magni Olai* ratiocinium tale „ eſt: *Ex veterum Rhythmis, ut etiam appella-* „ *tionibus Aſarum nonnullis, ac imprimis Odini* „ *& aliarum deniqve rerum apparet, aliam fuiſſe* „ *Eddam antiqviorem aut volumen fabularum, ab* „ *ipſis Aſis confectum aut eorum nepotibus, qvod* „ *interierit, & cujus hæc noſtra Edda aliqvale ſit* „ *compendium, qvia nominum pauciſſimorum,* „ *qvæ Odino ex variis caſibus indita ſunt pluri-* „ *ma, ut Edda profitetur, ex ejus fabulis red-* „ *di poteſt ratio, nec etiam plurium qvæ ibi oc-* „ *currunt, appellationum.* Non minus a *Bry-* „ *nolfo* periiſſe deplorantur *ingentes theſauri totius* „ *humanæ ſapientiæ conſcripti a Sæmundo Sapien-* „ *te, & imprimis nobiliſſima illa Edda, cujus vix* „ *milleſimam partem reliqvam nunc præter nomen* „ *habemus, atqve id ipſum qvod habemus, omni-* „ *no fuiſſet deperditum, niſi Snorronis Sturlonii* „ *epitome umbram potius & veſtigia, qvam ve-* „ *rum corpus Eddæ illius antiqvæ reliqva feciſſet.* „ Libere admodum hæc pronunciarunt Viri „ Eruditiſſimi, opinione illa inducti, qvod ſep- „ tentrio longe ante Chriſtiani dogmatis pro- „ feſſionem libros habuerit; qvam ex ſinceris „ antiqvitatibus adſtrui poſſe valde dubito: Con- „ trariam potius ſententiam, nempe ſep- „ tentrionales ante Chriſtianam Religionem huc „ invectam, ne literas qvidem (Runicas excipio) „ noviſſe, utpote non levibus argumentis proba- „ bilem, pluribus, ſi loci anguſtia concederet, „ defenſurus. Relationum autem non ſcripta- „ rum, qvas de rebus tam poëticis qvam hiſto-

„ ricis,

„ ricis, sedula calluit antiqvitas, bonam partem „ interiisse, earumqve multas ad Saxonem pervenisse, qvæ nos hodie latent, nemo nisi in „ Antiqvitatibus cæcus, & in Saxonem iniqvus „ negabit, fabulas vero poëticas, scriptis antea „ comprehensas periisse, facilius dicitur qvam „ probatur. Vixere qvidem in Septentrione „ ante Christiani nominis & Literarum notitiam „ non pauci poëtæ, qvorum permulta carmina „ adhuc supersunt, sed qvi in operibus suis lepore poëtico condiendis, relationes & regulas „ omni ævo inter poëseos studiosos memoriter „ conservatas secuti sunt. Non itaqve sæpedictus Eddæ Auctor aliam Eddam se antiqviorem in compendium redegit, ut *Brynolfus* „ credidit, nec *Sæmundinam illam priscam interpolavit certove consilio ad poësin accommodavit*, „ ut loqvitur *Stephanius* Not. in Sax. p. 93. sed „ magis, artis poëticæ promovendæ cupidus, „ omnia, qvæ sua ætate extiterunt carmina, diligenter lustravit, indeqve fabulas poëticas „ solerti acumine decerpsit, relationibus poëticis „ ad illius etiam tempora demissis, non raro „ adjutus; qvæ cum sæpius deficerent, non mirum est, si non omnia pro posterorum desiderio explicare potuerit: nec diffitendum accuratis veterum carminum lectoribus spicilegium adhuc relictum esse, si talibus ingenium „ exercere usui esset.“ Qvo hanc suam sententiam firmet, exemplum adducit Doctiss. vir ex Historia Haqvini Grandævi Norvegiæ Regis, & deinde suam sententiam adfert de significatione vocis *Edda*, qvam ab *Odur* (qvod primitus sapien-

ſapientiam vel rationem (v. Völu-ſpá), deinde carmen ſignificat) deduxit, relictis *Gudmundi Andreæ*, *Helvaderii*, *Reſenii*, *Magni Olavii* & *Biörnonis Skardzaënſis* de etymo voculæ conjecturis.

(e) Literaturæ ſuæ Runicæ inſeruit Celeb. *Wormius* *Tractatum Magni Olai de poëſi Islandica*, unacum iis, qvæ in hac materia debuit Dn. *Thorlaco Skulonio* Epiſcopo Holenſi. Plura de Eddis v. *Suhm* Crit. Hiſt. af Danm. 2 Bind p. 654-64 & *F. Johannæi* Hiſt. Eccl. Isl. T. I. 203-4 & 209 nec non 23 ſqq.

(f) Danice conſcripſit auctor Tractatum hunc, ut exteris, inprimis Danis, ſimpliciſſimas carminis Islandici oſtenderet regulas, & communiſſima metrorum genera, cum non videret, qvibus inducti rationibus præſtantiſſimi Danorum, Svecorum & Norvegorum poëtæ exoticis hodie adeo delectentur metris, cum tot proſtent metra in veteri Danica Lingva, qvæ his nationibus vernacula qvondam fuit, & qvibus jam utuntur Dialecti veteris illius lingvæ filiarum loco habendæ ſint, unde has matrem ſeqvi & periculum eſſe faciendum veterum veſtigiis, qvoad fieri poteſt, inſiſtendi maluit, qvam ſeſe ſine neceſſitate legibus ſubjicere, qvas exotica metrorum genera, lingvæ Danicæ minus forte congrua, poëtis noſtri Septentrionis imponere ſolent. Nec credo hoc Tentamen a cordatioribus & lingvæ ſuæ veris æſtimatoribus (inprimis ſi luculentioribus & ad lin-

lingvæ Danicæ hodie florentis propius accedentibus genium auctum fuerit exemplis) improbatum iri.

§. 9.

Qvi Antiqvitates nostras notis Philologicis & Criticis illustrarunt præter *Paulum Widalinum*, antea commemoratum, sunt. 1) Poëta ille felicissimus *Hallgrimus Petræus*, Parochus Saurbæensis, qvi commentatus est in carmina qvædam in Veterum Historiis occurrentia. 2) *Biörno Shardzaënsis*, qvi *Vaticinium Volæ* (Völu-spa), *Carmen Brynhildæ* (Brynhilldar liod), & *Höfud-lausn* (Carmen pro redimendo capite) *Egilli Skallagrimii* explicavit, etiam anno 1641 illustravit Regi Hederico *ænigmata* olim solvenda. 3) *Einarus Eyolfi* cui anno 1695. Nomophylacis borealis & occidentalis Islandiæ demandatæ erant functiones, pleraqve carmina in Regis Olavi Tryggvini Historia commentario brevi & metaphrasi, pari qvoqve ratione *carmen Hallmundi monticolæ* & *Vafthrudnis-mal* illustravit & explicavit. 4) *Eyulfus Jonæ* Parochus Vallensis nonnulla veterum carmina, & *Hallgr. Petræi Carmen Seculare* brevibus illustravit commentariis, qvi & breviusculas Notas in *Historiam Olavi Sancti* & *Th. Bartholini Antiqvitates Danicas* conscripsit. (a) *Magnus Olavius* Laufasensis variorum carminum antiqvorem Enodationem vel explicationem reliqvit in Bibliotheca Legati Magnæani adhuc servatam; similiter *Gudmundus Olai* haud pauca hujus generis carmina explicuit, ex qvibus plurimorum ab *Oddo Monacho* in Historia Olai Tryggvini adductorum expicationes *Reenhielmius* in

in suis ad hanc notis edidit. *Johannes Finnæus* carmina antiqva in *Kristni-Saga* & *Landnamabók* obvia enodavit, qvæ enodationes una cum dictis historiis Hafniæ prodierunt. Præ reliqvis vero Dn. *Gunnerus Pauli* Præpositus Dalensis & Pastor Hiardarholtensis non tantum socia cum *Joh. Erici* opera, carmina antiqva in *Gunnlaugi Vermilingvis vita* conservata & cum ea edita, sed prætera etiam, in gratiam Sevirorum ad antiqvitates Septentrionales evulgandas constitutorum, carmina omnia in *Grettis-Saga, Kormaks Saga*, & *Egils Saga Skallagrims sonar* occurrentia, ut & reliqva ejusdem Egillis Skallagrimii poëmata, illustravit; ut carmen *Rigsmál*, qvod in Edda recentiori, & *Hymiskvidam*, qvæ in antiqviori occurrit, & plura ejus generis, & in his omnia carminum antiqvorum fragmenta, in Edda recentiori obvia, taceam. Qvod porro *Magnus Olavi, Stephanus Olavius, Thormodus Thorfæus* & *Gudmundus Andreæ* in vertenda & Illustranda *Edda* præstiterunt, ex *Resenio* addisces, nec me latet qvantum olei & operæ in illustranda *Edda* consumserit & impenderit veteranus studii antiqvarii miles, literatissimus ille *Johannes Olavius Grunnavicensis*, qvi *clavem metricam Snorronis Sturlæi* a se in lingvam Latinam conversam mihi olim monstravit, ut & *Commentarium de Asis* & eorum nominibus Eddicis. Accedit ejusdem commentarius in *Solarliod, Voluspa* & *Havamal*, nec non *Enodatio carminum in Grettis-Saga* in Archivo Antiqvit. Holmiensi etiam num obvia. Subjungimus istis elegantem *Disqvitionem de Philippia* sive amoris eqvini apud priscos boreales causis, ed. Lipsiæ 1755. auctore *Johanne Erici*, tum in Communitate Regia Decano, jam S. R. M. a Consiliis Justitiæ &c. qvæ Disqvisitio subjecta est alteri eodem anno editæ

editæ laudati Auctoris, nimirum de *Veterum Septentrionalium inprimis Islandorum peregrinationibus*, in qva ex antiqvorum Islandorum peregrinandi studio, eorumqve de peregrinationum usu & necessitate sententiis politi populi mores adstruuntur, & Historicorum Islandorum auctoritas vetustorum manuscriptorum fide vindicatur: Concinnavit insuper laudatus *Erici Observationum* ad Antiqvitates septentrionales pertinentium *Specimen*, qvod prodiit Havniæ 1769. de 1) Somniis ex doctrina veterum Septentrionalium. 2) Geniis hominum & familiarum tutelaribus ex doctrina borealium, ut taceam *Orationem* de qvibusdam veterum borealium institutis, Soræ Danorum 1762. ab eo habitam; *Annotationes & Supplementa ad Joh. Arnæi Introductionem ad Processum Islandicum*; *Introductionem & Annotationes ad Speculum Regale*, *Commentarios* in Historiam *Gunnlogi Ophioglotti* 1775. editos, *Annotationem de Berserkis & furore berserkico* ad calcem *Kristni-Sagæ*, 1773. editæ, & id genus plura. Commentatio de *Centenario argenti* ad calcem Kristni-Sagæ edita *Biarnio Halthorio* debetur. *Johannes* vero *Olavius Grunnavicensis* de *nomine proprio Danmark*, de magia veterum septentrionalium *seydr* dicta, de usu vocis: *á Danska tungu*, de voce *sáld*, & aliis ad antiqvitates pertinentibus, singularibus commentationibus, nondum editis, egit. Huc deniqve refero, cum antiqvæ Septentrionalium lingvæ lucem adferant (qvamvis respectu primarii argumenti, qvod tractant, alio pertinere videantur) duos Tractatus, ab Eruditissimo Viro *Johanne Olavio* (qvi se a loco natali Hypnonesium vocavit, ut se a conterraneis eodem nomine gaudentibus distingveret) summa industria confectos, qvorum prior agit *de Baptismo sociisqve sacris ritibus*

in

in boreali qvondam Ecclesia usqve ad Reformationem observatis, adjecto vocum antiqvarum ibidem occurentium syllabo cum explicatione & selectis etymologiis, Havn. 1770. posterior vero agit de *Cognatione spirituali* cum Appendicula de *Cognatione Legali* cum vocum antiqvarum in hac Diatribe occurentium syllabo, explicatione & etymologiis, Havn. 1771.

§. 10.

Non vero lingvæ patriæ nostrates adeo fuerant nitore & copia capti, qvin lingvis qvoqve exoticis operam dederint; etenim non modo studiorum gratia mittebantur ad exteros primis post introductam huc Religionem Christianam seculis *Isleifus Gisseri* & Isleifi filius *Gisserus* Erfordiam, uterqve dein Sacrorum in patria Antistes; *Paulus Johannis* f. in Angliam, & alii alio; Sed scholæ primum Skalholti a dicto *Isleifo*, dein Holis a *Johanne Ögmundi* f. cognomine Sancto, primo loci Episcopo fundatæ & apertæ. In Monasteriis qvibusdam Ordini sacro addicti in lingva inprimis Latina Musica & Jure Canonico, etiam domi a Viris dignitate, fortunis, vel eruditione conspicuis erudiebantur adolescentes (ut observamus in *Hallo Munifico* dicto, *Tito Isleifi* Episcopi filio Haukdalensibus, *Sæmundo Sigfusonio*, qvi ludum literarium in prædio suo Odde aperuit, qvem & aliqvantisper sub ejus prognatis floruisse credendum, & docta virgine *Ingunna*, qvæ nemini dicitur cessisse in artibus liberalibus, docuisse Grammaticam, & Latinos libros correxisse) (a). Unde Sec. XI. XII. XIII. ad tantum evectæ fastigium liberales artes videntur, qvantum seqventibus, colligente vires

Papa-

Papatu, usqve ad Religionis Reformationem feculi circa dimidium decimi fexti introductam, vix ac ne vix attigiffe probaveris. Omnium qvippe feculorum monumentis conftat inter ἐπίγνωσιν ἀληθείας τῆς κατ᾽ εὐσέβειαν & artium humaniorum fana ftudia familiares adeo & fororio velut vinculo connexas intercedere rationes, ut ubi vera religio floret, floreant etiam bonæ artes, & fi illa gravibus erroribus fœdata prave colatur, hæ qvoqve collabafcant. Hinc excuffa Papatus caligine revivifcere cœperunt bonæ artes, & cura Regis Chriftiani III. (gl. mem.) reftaurari fcholæ cathedrales (b), unde procedente tempore Viri doctiffimi, qvi Studio Philologico (ut cæteras artes h. l. taceam), delectabantur, prodiere. Nec fuo hac in parte defuerant officio Scholarum & Ecclefiarum Antiftites, qvi præcepta lingvæ Latinæ non felicius modo qvam eousqve præftitum erat, docebant, fed in ufum fcholarum evulgarunt. Sic *Gudbrandus Thorlacius* Epifcopus Holenfis Paradigmata Donati 1609. & Grammaticam Latinam, utrumqve opufculum typis ut plurimum Islandicis communibus impreffum, itemqve Georgii Vogelmanni Elegantias Latinas in gratiam fcholæ Hol. e fuo Typographeo 1616. edidit. Credo qvoqve ab eo editum *Vocabularium Islandicum*, vel ab ejus fucceffore & e filia nepote Epifcopo *Thorlaco Skulonio* (c). Hujus certe filius *Theodorus Thorlacius* Epifcopus Skalholtinus edidit 1695 *Praecepta Grammatica* & *Syntactica* ex opusculis Philippi Melanchthonis & Spangenbergii collecta (d). Et *Johannes* deniqve *Arnæus*, Epifcopus Skalholtinus (e), *Opus tripartitum Grammaticale*, Donatum fcil. Grammaticam cum Syntaxi, & Vocabularium Latino - Islandicum, Havniæ typis Höpffnerianis editum, adornavit; *Nucleum*

insuper *Latino - Islandicum*, ab immortali Grammio, ut puto, primum adornatum, pueris vel notissimum, suis sumptibus edidit Havn. 1738. Præterea non pauci fuerunt, qvi libros tum veteris, tum novi Testamenti, fontes ipsos secuti, explicarunt, notisqve philologicis & didacticis illustrarunt, nobis infra Sect. V. §. 4. memorandi. Accedunt his, qvi tum in vulgus prælorum beneficio edita, tum adhuc inedita insignis sui in Philologia Hebræa, Græca & Latina profectus dederunt specimina, qvorum seqventes occurrunt:

1) *Arngrimus Thorkilli* fil. *Widalinus*, Philos. Mag. & Rector Scholæ Nascoviensis, qvi Havniæ obiit anno Chr. 1703. Ingenii acumine & doctrina clarus, *Gustum ad Isocratem* Havniæ 1698. edidit, *Pindari verba difficiliora* & alia notatu digna excerpsit (f), & *Phrases e Corn. Nepote* explicavit: Majoris autem momenti est *Dissertatio* ejus *Philologica de vocis* כארי (Ps. XX. v. 17.) *genuina lectione & significatione*, qvam in lucem emisit anno 1689. cum Præfat. D. Johannis Lassenii S. S. Theol. Doct. & Profess. Regii (g).

2) *Johannes Einari*, Scholæ Skalholtinæ primum Hypodidascalus, dein Rector Scholæ Holensis designatus (qui obiit Mödruvallis XII Sept. morbo variolarum grassante, anno 1707.) sub variis metris Islandicis, ut erat ingenio eximio, lepide Primitiva Græca Pasoris in vernaculam translata reliqvit, qvod ipsius opus, cui ultima lima deerat, auxit & emendavit *Einarus Johannis* f. primum Conrector, mox Rector Scholæ Skalholtinæ.

3) *Jo-*

3) *Johannes Theodori*, Paſtor Hvammenſis in Diœceſi Holana anno Chriſti 1679. ætatis vero 63. *Vocabularium Latino - Islandicum* ſub variis metris conſcripſit.

4) *Johannes Magnæus*, qvem aliqvoties laudavi, voces Græcas collegit, qvæ convenientiam habent cum Islandicis, qvod ſuum opus transmiſit fratri ſuo Celeb. *Arnæ Magnæo*, qvod & in ejus pluteis ſupereſſe puto.

5) *Olavus Johannis*, Hypodidaſcalus primum, & deinde ultra XX. annos Rector Scholæ Skalholtinæ, & paſtor demum Eccleſiæ Hytardalenſis, vicinarumqve Præpoſitus, fato functus anno, ni fallor, 1688. 24 Sept. & ætatis 51. ob lingvarum peritiam & docendi dexteritatem multopere laudatus, *Comenii Januam* lingvæ Lat. civitate Islandica donavit, qvam etiam una cum *Hadriani Junii Nomenclatore Gudmundum Olavi* (h). transtuliſſe teſtatur Dallin Diſſert. cit. Hic qvoqve Nomenclator alterum adeptus eſt interpretem, *Ketillum* nempe *Jörundi*, in Schola Skalholtina per annos non paucos Hypodidaſcalum, & poſtea Curionem Hvammenſem, Nomarchiæqve Dalenſis Præpoſitum, virum præclare doctum, antiqva virtute & fide commendabilem, dexterrimumqve ingeniorum formatorem.

6) *Theodorus Johannis*, Paſtor Stadaſtadenſis, *Præcepta lingvæ Græcæ* ex variis auctoribus collegiſſe dicitur. Inter feliciores poëtas Latinos numeratur, & *Diſſertationem* conſcripſiſſe dicitur *de Verſionibus Bibliorum Islandicis*, & *Tractatum de Ceremoniis Eccleſiæ*, ſed nihil horum vidi (i).

 7) *Gunn-*

7) *Gunnlaugus Snorronis*, Paſtor Helgafellenſis, Alphabetum Hebraicum, ſ. pronunciationem lingvæ Hebraicæ verſibus Islandicis expoſuit, Hafn. 1775 in 8vo editis.

Huc referre poſſem multos, qvi lingvis, præter Latinam, Græcam & Hæbræam, exoticis egregiam navarunt operam, licet ſcriptis in eo genere non inclaruerint, ſi ultra limites, qvos mihi initio præſcripſi, divagari vellem. Interim ſingulare ſui exemplum dedit vir venerab. *Johannes Bernhardi* f. verbi divini miniſter Hrafneyrenſis, hodie ſuperſtes, qvi non panis lucrandi cauſa, ſed ut ſeqveretur connatum ad ſtudia humaniora excolenda impetum, Lingvæ Grönlandicæ non mediocrem notitiam ſibi comparavit. Hunc tamen longe vicit *Egillus Thorhalli*, qvi poſtqvam per annos bene multos Paſtoris & tandem etiam Præpoſiti vicarii munere in Grönlandia functus eſt, *Schema Conjugationis Grönlandicæ Verborum in ok, vok & rpok deſinentium*, una cum *precationibus & Hymnis Grönlandicis* in ſingulos ſeptimanæ dies, Hafn. 1776. in octavo edidit, ut *expoſitionem Catechismi Grönlandicam* ab eo & pluribus emendatam, qvæ prelum nuper reliqvit, taceam.

(a) Teſtes hujus rei allegare poſſum Vitas Thorlaci Sancti Epiſcopi Skalholtini, Johannis Sancti, Laurentii & Gudmundi Boni Epiſcoporum Holenſium.

(b) Conf. Alb. Thuræ Hiſt. Lit. Dan. P. I. Cap. 11. 19.

(c) Hoc

(c) Hoc Vocabularium Latino - Islandicum Holis impressum se mittere testatur Episc. *Thorl. Skulonius* in Epist. ad Ol. Wormium ann. 1643.

(d) In Præfat. dicit S. V. Editor: „ Non visum nobis fuit recedere a Compendio illo veteri, „ Holis olim impresso, nam aliqvid hic immutare (si errores typographicos excipias) „ supra soeeum meum esse putavi.

(e) Compendium vitæ ejus exstat in Libro : **Berømmelige Danske Mænds og Qvinders Eftermæle ved** C. P. Rothe P. II. Porro disseruit laudatus Præsul de lingvæ Latinæ recta pronunciatione, occasionem subministrantibus literis inter eum, tum Pastorem Stadensem & Districtus Strandensis Præpositum, & Mag. *Joh. Widalinum* Episc. Skalh. de hac materia amoebæis, qvas ad manus habui.

(f) Vid. Biblioth. Rostgaard. inter Mss. P. 2. No. 828.

(g) De hac Dissertatione ita sentit B. Lassenius: „ Eruditissimus noster *Arngrimus* in gentis suæ „ decus & popularium imitationem feliciter „ hactenus enutritus, in se provinciam hanc „ suscipere, & licet diversa methodo, (ab aliis „ scilicet qvi de hac voce scripserunt) eleganter tamen & accurate post Leusdenios & Pfeifferos, maximi nominis viros, integritatem „ hujus vocis asserere, Textui Sacro suam incorruptionem vindicare, & genuinam lectionem, spuria modeste rejecta, restituere,

„ imitatus LXX viralem Verſionem & Aqvilæ „ Judæi &c." Scripſit præterea *Widalinus* de *Scenopegia Chriſtiana*, qvem ejus Tractatum Bircherodius inſeruit *Paleſtræ* ſuæ *Antiqvariæ*.

(h) Succeſſit *Johanni Rugmanno*, honeſtis parentibus prognato & e Nomarchia Vadlenſi oriundo, primoqve Islandorum apud Svecos Antiqvario, *Gudmundus Olavi* filius, qvi anno 1652. natus, patre Parocho Olavo, Halfdani Rafneri Paſtoris Undirfellenſis, poëtæ non incelebris, & ob inſignem pietatem & zelum clari, filio. Gudmundus, mortuo patre, extrema paupertate fere obrutus, qvam piſcatura aliqvantulum levavit, qvum nitidius pingeret, innotuit Qvæſtoris Regii ſub idem tempus Vicario Olavo Klow, & ejus domeſticus factus, Latinæ primum lingvæ operam dabat, & qvum egregium ad bonas literas addiſcendas adferret ingenium, hero ſuo patrocinante in Scholam Skalholtinam admiſſus fuit, unde exacto triennio, Havniam, ut majorem in ſtudiis profectum caperet, adiit. Elapſo biennio, ſalario non contemnendo a Carolo Gyllenſtiernio 1680, Ulricam Eleonoram Caroli XI. ſponſam Havnia deducturo, invitatus, ut explicandis Hiſtoriis Islandicis ſe præſentem Svecis ſiſteret. Cui annuens Gudmundus Holmiam 1681. pervenit, Stipendio Regio duplici ex ærario Academiæ Upſalienſis ſuſtentandus, moxqve ditiore ſalario & Regii Translatoris nomine ornatus eſt. In matrimonium adſcivit Julianam Margaretam Bagge 29 Sept. A. 1684. nuptiis Abylundi celebratis, prout conſtat ex pro-

programmate Latino nuptiali a Vennæfio typis Nicolai van Kyf Holmiæ edito, & Helgonis Olavi gratulatione profaica, fratris Gudmundi, & poftea verbi divini in Rutafiord miniftri. Ineditæ Gudm. Olavii lucubrationes in tabulario Antiqvitatum Academiæ Upfalienfis refervatæ, funt, præter Lexicon lingvæ Islandicæ, & Indicem Adagiorum Islandicorum, Interpretatio Hiftoriarum Halfdani Eyfteini f. & Hrolfi Peditis, Interpretatio multorum Carminum veterum &c. Obiit Gudmundus 20 Dec. 1695. Plura, qvæ ad ejus vitam & fcripta pertinent, vide fis apud Dallinum Differt. cit. §. 3.

(i) Natus eft Theodorus clariffimo loco, patre nimirum Johanne Vigfufio Epifcopo Holenfi, ex Schola Skalholtina, ubi triennio commoratus eft, dimiffus anno æt. decimo qvarto, fed fere biennio poft Mufas Havnienfes falutavit, privato Præceptore Cafp. Bartholino per qvinqvennium ufus. Famam & nomen defuncti patris graviter impetitum vindicaturus patriam revifit, & coram fupremo tribunali adverfariis fuperior famam parentis mafcule tuebatur. Mox in patriam redux 1693, apud viduam matrem & confangvineos aliqvandiu commoratus, Havniam tertio petiit, verum poftliminio rediens Rectoratum Scholæ Skalholtinæ 1698. adiit, qvem per triennium magna laude gefferat, anno 1700. uxore ducta. Deinde an. æt. 30. adjutor jam fenefcentis Pauli Ketilli f. verbi Dei apud Stadaftadenfes Miniftri, ab affini fuo Joh. Widalino, Epifcopo Skalh. folenni ordinatione conftituitur, & anno

C 4 1703.

1703 Præpositus Ecclesiarum Snæfellnesensium & Hnappadalensium creatur, obiit vero 21 Aug. anno Chr. 1720. æt. 48, artis Machaonicæ non ignarus. Plura de scriptis hujus viri v. in Sibberni Idea Hist. Lit. Isl. §. XXVIII.

SECTIO II.

De Studio Islandorum Poëtico, & Auctoribus præcipuis, qvi in ligata oratione scripserunt.

Feracissima bonorum ingeniorum fuit Islandia, præstantissimosqve omni seculo produxit Poëtas, numero sane permultos; unde aliqvot tantum proferam, eosqve insigniores, ita in ordinem redactos, ut primum qvi ante tempora Reformationis, & deinde qvi post eandem floruerunt, indicentur.

MEMBRUM PRIUS.

Poëtas ante Reformationem Christianæ Religionis in Patriam introductam exhibet, e qvibus sunt:

§. I.

Arildus, (*) qvi Waldemaro Magno Daniæ Regi & Absaloni Archiepiscopo, ob Historiarum, Poëseos & Oneirocritices peritiam, teste Saxone Grammatico, charus erat.

Arnorus, *Comitum Poëta* dictus, *Theodori filius*, de Magno Bono Norvegiæ Rege Carmen concinnavit teste Knytl. Cap. 22. itemqve de Rögnvaldo & Thorfinno comitibus, deqve Haraldo Rege Sigurdi filio, tum laudativum, tum funebre. Funebre qvoqve car-

(*) Rectius forte *Arnaldus*, Thorvaldi ut videtur, filius.

carmen adornavit in memoriam Gelleri filii Thorkeli, teste Laxdæl. Hist. Cap. 51.

Bardus Niger.

Bernhardus (nostratibus *Biarne*) *Gullbrá* dictus, de Kalfo Arnæ f. carmen composuit, vid. Hist. Olavi S. Cap. 240.

Bærsus Torfæus vixit tempore Canuti Magni & Olavi Sancti Regum.

Biörno Hitdalensium Athleta, *Arngeiri filius*, egregius fuit pugil & poëta, ut ex ipsius historia liqvet.

Egillus Skallagrimi fil. athleta imperterritus, piraticam variis in locis exercens, numerosæ in Islandia stirpis progenitor, & poëta insignis, varia cecinit, inter qvæ supersunt carmen *Höfud-lausn*, (redemptio capitis sui) *Sonar-Torek*, (de amissione filiorum suorum) Carmen ad Arinbiörnum Hersir, & plura. V. not. ad Gunnl. Ormstungæ Vitam p. 3. 5. qvæ omnia, cum ipsa *Egillis Vita*, qvæ jam sub prelo sudat, brevi prodibunt.

Einarus Sacerdos, *Skulonis* f. tempore Sigurdi Hierosolymipetæ Norv. Regis, de Svenone Daniæ Rege Svidanda dicto, v. Knyt. Hist. Cap. 198, multaqve alia cecinit. Vide not. ad Gunnl. Ormstungæ Vitam p. 15. 17.

Einarus Helgonis Skala-glam (Lancium Strepitus) dictus, Satelles Haqvini Divitis Comitis Hladensis, de

de Julinenſium pugna cecinit, concinnavitqve *Vell-eklam* de dicto Haqvino Comite. v. Hiſt. Ol. Trygg. P. 1. Cap. 61. 63. 158. 174. de ejus morte v. Cap. ejusd. Hiſt. 163.

Eynlfus Brunonis, Snorronis Sturlæi ſynchronus.

Eyſteinus Asgrimi Monach. Franc. Helgafellenſis, Carminis elegantiſſimi, qvod *Lilium* dicitur, bis impreſſi, ſed a fermento Papiſtico ab Arngrimo Jonæ repurgati, Holis 1612 & 1748, & noviſſime juxta veterum exemplarium fidem Havn. 1774 cum verſione Latina, & forte plurium auctor, obiit 1361.

Eldjarnus tempore Magni Nudipedis, Conſtantinopolin, ubi ſtipendia mereret, petiit, ibiqve de Giſaldo carmen compoſuit.

Gislavus (al. *Gisl.*) *Illugonis* tempore Magni Regis Nudipedis.

Gizerus, *Gullbrá* dictus, ſub Olavo S. Norv. Rege.

Gizerus Niger, (a priore puto diſtingvendus) Poëta Olavi Sveonum Regis.

Gudmundus Brandi, Paſtor Hiardarholtenſis.

Gudmundus Ottonis, cujus Carmina in Magno Islandiæ Chronico ſubinde occurrunt.

Gunnlaugus Ormstunga, vixit circa annum 1000 in Anglia, Norvegia & Svecia, varia poëſeos ſpecimina edidit, cum ejus vita nuper evulgata.

Glu-

Glumus Geiri fil. Carminis Grafelldar - Drâpa auctor v. Hist. Ol. Sancti.

Hallbiörnus, cognomento *Hali*, vixit sub Sverero Rege, Julinensium pugnam carmine celebravit. V. Hist. Ol. Trygg. P. I. p. 210. it. p. 155. ed. Skalh.

Hallus (vulgo *Snegla - Halli*) de Haraldo Rege Sigurdi filio & aliud de Edvardo Angliæ Rege carmen composuit.

Hallus, alicubi, ut puto, in patria Sacerdos, scripsit Carmina de S. Nicolao, S. Cruce & S. Michaële Archangelo.

Hallfredus Ottari fil. *Vandræda - Skâlld* dictus, Olavi Regis Tryggvini Satelles, Carmen de dicto Rege, aliudqve de Haqvino Comite & filio ejus Erico adornavit. Carmina ejus passim in Hist. Ol. Tryggvini citantur. Conf. & not. ad Gunnlaugi Ormstungæ vitam p. 123-25. Obiit qvadragenarius, vel anno æt. suæ 35, ut est in appendice ejusdem Historiæ circa Ann. 1004.

Hrolfus Skalmarnesensis, Poëta accuratus & historiarum apprime gnarus, teste Sturl. Hist. Lib. I. Cap. 8. Conf. Cap. 15. vixit anno 1119.

Ingemundus Einari filius, pastor Reykholensis, poëta egregius, recitavit historiam *Ormi Bareyensis poëtæ*, carminaqve qvædam composuit, & ideo muneribus ab exteris principibus cohonestatus, teste Sturl. Hist. & Gudm. Boni Vita majore.

Joh.

Joh. Aræ filius, ultimus Epiſcoporum Holenſium Pontificiæ Religioni addictorum, Carmina qvædam ſacra, ſub Tit. *Liómur*, *Davids Dictur*, *Piiſlarminning*, *Nidur-Stigningar viſur*, *Gimſteinn* (qvod tamen Carmen antea laudato Eiſteino unum exemplar tribuit), conſcripſit, qvæ feliciſſimam exhibent venam, ut & alia jocoſa, qvæ ei adſcribuntur. Carmina, qvæ Hectoris Hiſtoriam continent, ipſi in exemplari qvodam chartaceo tribuuntur, cui tamen relationi ſubſcribere non audeo. Carminum autem Johannis Aræ filii genuinorum nonnulla *in Collectione odarum ſacrarum*, vulgo *Viiſnabok* 1612 & 1748, in *Peringſkioldii fragmento Runico-Papiſtico* Holm. 1720, in *Lud. Harboe Hiſtoria Reformat. Island.*, *Finni Johannæi Hiſt. Eccleſ. Isl.* & *Biörnonis de Skardza Annalibus*, edita ſunt.

Johannes Pauli fil. Sacerdos Grejadarſtadenſis & Diœceſis Holanæ Officialis, in laudem B. Virginis Carmina nonnulla reliqvit. Qvorum qvædam Peringſkioldius in Fragmento Runico-Papiſtico edidit.

Kolbeinus Thomæ fil. præter varia carmina miſcellanea B. Virginem carmine celebravit, qvod exſtat in Vita Gudmundi Boni majore.

Kormacus Augmundi f. vixit ſub Haraldo Grafeldo ante ann. 1000, cujus carmina in ipſius Hiſtoria paſſim occurrunt.

Lopterus Guttormi f. cognomento *Dives*, Ordinis Eqveſtris, clavem metricam & carmina ad B. Virginem elegantiſſime compoſuit. Obiit circa 1432.

Mar-

Marcus Skeggii fil. qvi poſtqvam in aulis Daniæ, Norvegiæ & Sveciæ Regum juvenilem ætatem transegerat, Nomophylacis adiit officium, ſecundum Schedas Aræ Thorg. 1084, & in ea dignitate permanſit ad ann. 1108, Canutum S. & Ericum Bonum carmine celebravit. Condidit etiam *Rekſtefiam*, carmen de Olavo Rege Tryggvino, qvod paſſim in ejus Hiſt. citatur, & aliud carmen ſacrum de vita & paſſione Chriſti. *Rekſtefia* adhuc integra & ſeparatim habetur in Bibliotheca Arch. Ant. Holm. initio Codicis Pergameni, qvem Sveci *Bergi Abbatis librum* vulgo appellare ſolent.

Olavus Theodori, Hvita-Skalld, a capillorum colore forte ſic dictus, in aula Valdemari Daniæ Regis, qvi obiit 1240. aliqvantiſper commoratus, & deinde Nomophylacis officio functus 1248, & iterum 1252. obiit 1259. Carmina qvædam laudatoria ſive Panegyricos conſcripſit, de Haqvino Norvegiæ & Valdemaro Daniæ Regibus, de Skulone Duce & Thorlaco Sancto. Primarius auctor eſt Skaldæ, ſive Libelli de Poëſi Islandica, qvamvis ſeqvioribus ſeculis auctus fuerit.

Ottarus Niger, ſub Svenone Barbæ Furcatæ carmen de Canuto Magno Daniæ Rege, & aliud de Olavo St. Norv. Rege compoſuit.

Rafnerus (Skáld-hrafn) *Aunundi* filius, inſignis Poeta, teſte hiſt. Gunnlogi Ophiglotti, in qva omnia ejus carmina, qvæ qvidem ſuperſunt, edita habentur.

Sig-

Sighvatus Theodori, Satelles, Aulæ Magiſter & Poëta Olavi Sancti, de Canuto Magno & Magno Bono Regibus, nec non Erlingo Skialgio, pleraqve etiam alia reliqvit carmina. V. Knytl. Cap. 16. 17. 19. Ol. Trygg. Hiſt. Append. p. 33. 43. it. Hiſt. Magni Boni Cap. 17. Olavi Regis Haraldi f. Cap. 137. 214.

Sigurdus, *Foſtre* dictus, *Thordi* fil. Biörnonis Hieroſolymipetæ, Nobilis Islandi, minime vero Sigurdi Norvegiæ Regis, (qvi etiam cognomen ex itinere ſuo Hieroſolymitano ſortitus eſt), poëta, carmen jocoſum de Schidone mendico fabricavit, qvod Hexametris Latinis ſubjecerunt *Joh. Widalinus* Epiſc. Skalh. & ubi deſcivit *Joh. Arnæus*, Studioſus Havnienſis, fato functus 1740.

Skulo Thorſteini, de pugna Svoldrenſi cecinit.

Snorro Sturlæus fudit duo carmina ad Ducem Skulonem, teſte Sturl. Hiſt. Lib. IV. Cap. 22. & tria alia ad eundem Ducem & Regem Haqvinum, qvæ Eddæ annecti ſolent, & *Clavis metricæ* nomine veniunt, pluraqve carmina adornavit, utpote de Haqvino Galin Comite, Kriſtina &c. v. Sturl. Hiſt. Lib. IV Cap. 21.

Sturla Theodori, Olavi frater, Nomophylacis officio diu functus, annoqve ætatis 70 circiter deceſſit, poſt Chr. n. 1284. Hiſtoriographus & Poëta inſignis; Panegyricos concinnavit in honorem Haqvini & Magni Norvegiæ Regum, & Birgeri Sveciæ Comitis, v. Sturl. hiſt. Lib. 2 Cap. 38.

Steino

Steino Herdisæ fil. sub Olavo Pacifico.

Thorarinus, *Lof-tunga* dictus, *Höfud-lausn* & *Tug-drápu*, carmina sic appellata, pepigit, sub Canuto Magno & Svenone Canuti filio floruit. v. Olai S. vitam Cap. 151. 198.

Thiodulfus Arnori fil. Haraldi Regis Sigurdi fil. poëta.

Thorleikus Pulcher, *Bollonis* fil. de Svenone Rege Ulfonis f. carmen composuit.

Theodorus Kolbeini fil. sub Ol. Sancto. Conf. not. in Gunnlaugi Ormstungæ vitam p. 178 - 179.

Thormodus Kolbrunar-skálld dictus, sub Ol. Sancto.

Thorarinus, *Stuttfeldr* dictus, sub Sigurdo Hierosolymipeta.

Thorlevus Asgeiri fil. gentilis, *Comitum Poëta* vulgo dictus, Haqvinum Sigurdi Comitem Hladensem carmine mordaci proscidit, & Svenonem Furcatæ Barbæ Daniæ Regem alio prolixo laudavit. v. Hist. Ol. Trygg. P. I. Cap. 168. Landn. p. 109.

Thorfinnus Munnur sub Olao Sancto.

Theodorus Veile, auctor certi metri generis, *Veila-háttur* dicti, aliis *Skialfhenda forna*, teste Skaldâ.

Veturlidius poëta, de Thori rebus gestis & Tangbrando Presbytero infame carmen effutiit, ultimumqve capite luit.

Ulfus

Ulfus Uggonis de Thoro gentilium Deaſtro & Olavo Rege Tryggvino cecinit, vixit circa 997.

Superſunt adhuc poëtæ multo plures, qvi tum in catalogo Poëtarum, qvi inſertus eſt appendici Literaturæ Runicæ Wormii, tum in Hiſtoriis & Edda proſaica, paſſim laudantur, qvorum vitas brevitati qvam maxime ſtudioſus, hac vice prætereo.

Schol. I. Qvoniam curioſis lectoribus forſan non injucundum erit ſeriem veterum poëtarum, qvi in Septentrione noſtro floruerunt, qvos tamen omnes meis popularibus minime accenſerem, accuratiorem noſſe, qvam qvæ ad finem Literaturæ Wormii Runicæ ſubjecta eſt, & in nominibus propriis non ſemel hallucinatur, aliam juxta exſcriptum Thormodi Torfæi, qvi veterem membranam ſecutus eſt, latina civitate donatam, adjiciendam exiſtimo, qvæ ita ſe habet:

Series poëtarum ſub Regibus & Satrapis Daniæ.

Starkadus Senior poëta fuit. Ejus carmina ſunt eorum, qvæ ſuperſunt, antiqviſſima. De Regibus Daniæ cecinit.

Hiarno Rex, ob Epitaphium Frothoni poſitum Regio diademate poſt illum ornatus.

Ragnarus Lodbrók fuit poëta, & *Aslaug* uxor ejus, eorumqve filii.

Sub Ragnaro Lodbrók floruerunt *Brage* poëta Senior Boddæ filius. (*)

Sub Svenone Tiúguſkeggio, *Ottarus Niger*.

Sub Canuto Magno, *Sighvatus Poëta*, *Ottarus Niger*, *Thorarinus Lof-tunga*, *Hallvardus Hareks-blesi*, *Berſus Torfæus*, *Steino Skapti* fil. *Arnorus Comitum poëta*, *Odarus Keptur*.

Sub Svenone Alfifæ filio, *Thorarinus Lof-tunga*.

Sub Svenone Ulfonis, *Thorleikus Pulcher*, *Thordus Kolbeini* f.

Sub Canuto Sancto, *Kalfus Mani fil. Skulo Illugonis* f. *Marcus Skeggii* f.

Sub Erico Svenonis filio, *Marcus Skeggii* fil.

Sub Erico Eimuni, *Halldorus Skvaldri*.

Sub Svenone Svidanda, *Einarus Skulonis*.

Sub Waldemaro Canuti filio *Thorſtenus Kroppur*, *Arnhallus Thorvaldi* f.

Sub Canuto Valdemari *Thorvardus Thorgeyri*.

Sub Waldemaro Grandævo, *Olavus Theodori*, *Jatgeyr Torfæus*, *Thorgeirus Danorum Poëta*, *Sugu-Valdi*.

Sub Strut-Haraldo Comite vel Satrapa, *Theodolfus de Hvine*.

Sub

(*) Inferit chartaceum Exemplar. » Sub Canuto Haqvini filio *Olavus Theodori*. »

Sub Sigvaldo Comite, *Theodorus Sigvalda - Skald* dictus.

Sub Hareko Thorkilli, *Thiodulfus Arnæ* fil.

Sub Thorlevo Sapiente, *Thiodulfus de Hvine*.

Series Poëtarum ſub Regibus & Dynaſtis Sveciæ:

Sub Eyſtenio Beli (Reli al.) *Brage Senior*, *Grande Prude*, *Erpur Lutande*, *Kalfus Thrönſke*, *Refus Ryzki*, *Ormus Uframi*, *Aulvaldus*, & *alius Aulvaldus*, *Fleinus poëta* (*), *Rögnvaldus*. [Erpur Lutandi homicidium commiſit contra ſtipulatam pacem, ideoqve capite damnatus, Carmen compoſuit de Sauro Rege, Hund cognominato, & ob id vita donatus.]

Sub Biörnone Haugenſi, *Brage ſenior*.

Sub Erico Ræfilis filio, *Alfus*, Comes, *parvus*.

Sub Styrbiörnone Robuſto, *Ulfus* Comes *Sulenſis*.

Sub Erico Victorioſo, *Thorvaldus Hialtonis* fil.

Sub Olavo Sænſka, *Gunnlaugus Ormstunga*, *Rafnerus Önundi* fil. *Ottarus Niger*, *Gizerus Niger*.

(*) Si hic Fleinus idem ſit ac Fleinus Hiöri fil. qvem *Landnáma - Bók* dicit Norvegum fuiſſe, unde forte Fleins-háttúr, certum veteribus metri genus, Eyſteinus hic non Sveciæ, ſed Daniæ Rex ſtatuendus eſſet, qvi Fleino filiam ſuam nuptum dedit. Landn. p. 149.

Sub Önundo Olavi fil. *Sighvatus poëta Thordi* fil.

Sub Ingone Steinkilli, *Marcus Skeggi* Nomophylax.

Sub Sörkverö Kolson, *Einarus Skulonis, Halldorus Skvaldri.*

Sub Canuto Erici, *Hallbiörnus Hali, Thorsteinus, Thorbiörni.*

Sub Sörkvero Caroli, *Sumarlidus Poëta, Thorgeirus Danorum poëta.*

Sub Erico Canuti, *Granus Hallbiörni* fil.

Sub Erico Erici, *Olavus Theodori.*

Sub Johanne Sorkveri fil. *Einarus Skulonis, Halldorus Skvaldri.*

Sub Johanne Comite Ivari filio *Halldorus Skvaldri.*

Sub Carolo Soni fil. Comite, *Halldorus Skvalldri.*

Series Poëtarum sub Regibus Norvegiæ.

Thiodulfus de Hvine (*Hvinverski*), cecinit de Rögnvaldo Heidum-hærra (tesqvis superiore) carmen *Tnglinga-Tal*, Haraldi Pulchricomi patruele, cujus xxx. enumeravit proavos, cujuscunqve mortis & loci sepulcralis mentionem faciens. (*)

Sub Haraldo Pulchricomo floruerunt *Audinus Illski-lda, Thorbiörnus Hornklofi, Aulverus Nusa, Thiodulfus de Hvine* (**), *Ulfus Sebbæ* fil. *Guttormus Sindri.*

Sub

(*) Thiodulfus hic ab alio, qvi ad tempora Haraldi Regis Sigurdi filii pertinet, probe distingvendus est.

(**) Fuit e Nobilitate Norvegica v. Hist. Ol. Trygg. p. I. Cap. 6. 17. 24.

Sub Erico Blodöx, *Egillus Skallagrimi*, *Glumus Geiri f.*

Sub Halfdano Nigro, *Guttormus Sindri.*

Sub Haqvino Bono *Eyvindus Skalda-spillir*, *Guttormus Sindri.*

Sub Haraldo Grafeldo, *Glumus Geiri f.* *Kormakus Ögmundi.*

Sub Olavo Tryggvino, *Hallfredus Vandræda-skáld*, *Biarnius.*

Sub Olavo Sancto, *Sighvatus Thordi* fil. *Ottarus Niger*, *Bersus Torfæus*, *Thordus Kolbeini*, *Thorfinnus Munnur*, *Thormodus Kolbrunar-skáld*, *Gizerus Gullbra*, *Hofgarda Refur*, *Skapto Thoroddi*, *Thordus Siareki* fil.

Sub Magno Olavi, *Sighvatus Poëta*, *Arnorus Comitum Poëta*, *Otto Kikinna-skáld*, *Refus*, *Thiodulfus.*

Sub Haraldo Sigurdi fil. *Thiodulfus Arnori & Baulverkus* frater ejus, *Valthiofus*, *Otto Kikinna*, *Stufus Cæcus*, *Arnorus Comitum poëta*, *Illhugo Bryndæla-skáld*, *Granus*, *Snæglo-Hallus*, *Thorarinus Skeggii*, *Valgardus de Welle*, *Hallus Stirdi*, *Steino Herdisæ filius.*

Sub Olao Pacifico, *Steno Herdisæ filius*, *Atlo Parvus*, *Vilborga.*

Sub Magno Nudipede, *Thorkillus Hamar-skald*, *Ivarus Ingemundi* fil. *Biörno Kreppilhendi*, *Bardus Niger*, *Gisl Illugonis.*

Sub Sigurdo Hierosolymipeta, *Einarus Skulonis*, *Ivarus Ingemundi*, *Halldorus Skvaldri*, *Thorarinus Stuttfeldr*, *Thorvaldus Blöndu-skáld*, *Arnas Fiörusfkeifur*.

Sub Eysteino Magni, *Ivarus Ingemundi*, *Einarus Skulonis*.

Sub Haraldo Gille, *Einarus Skulonis*, *Halldorús Skvaldri*, *Hallus Monachus*.

Sub Magno Cæco, *Einarus Skulonis*.

Sub Sigurdo Slembediakn, *Ivarus Ingemundi*.

Sub Ingone Haraldi, *Einarús Skulonis*, *Thorvardus Thorgeiri*, *Kollus poëta*.

Sub Sigurdo Haraldi, *Einarus Skulonis*, *Baudvarus Ballti*, *Thorbiörnus Gaús*.

Sub Eysteino Haraldi, *Einarus Skulonis*, *Sigurdus Skrauti*.

Sub Magno Erlingi, *Thorbiörnus Skacka-skáld*, *Sugandi skáld*, *Hallus Snorronis*, *Marcus Stephani*, *Thordus Halli filius*, *Skalá-Máni*.

Sub Haqvino Herdibreid (latis humeris) *Thorbiörnus Gaus*.

Sub Sverrero, *Asgrimus Ketilli*, *Thorsteinus Thorbiörni*, *Sumarlidius*, *Arnorus Saxa-skáld*, *Hallbiörnus Hali*, *Blackus poëta*, *Unas Stephani*, *Liotus poëta*, *Brage*, *Snorro Sturlæus*, *Sighvatus Egilli*, *Snorro Buxi filius*, *Thorbiörn Skacka-skáld*.

Sub Haqvino Sverreri, *Liotus poëta*, *Brage Halleri f.*

Sub

Sub Ingone Bardonis, *Snorro Sturlæus, Liotus Sumarlidi* fil. *Jatgeir Torfæus, Hauskuldus Cæcus, Runolfus.*

Sub Haqvino Haqvini, *Snorro Sturlæus, Olavus Theodori, Sturla Theodori, Jatgeirus Torfæus, Gizerus Comes, Arnas Longurio, Olavus Leggi filius.*

Sub Haqvino Haqvini Coronati Regis filio; *Olavus Theodori.*

Series poëtarum sub Satrapis sive Comitibus Norvegiæ.

Eyvindus Skálda-spillir, composuit de Haqvino Divite carmen, qvod dicitur *Halæya-tal*, ubi majores illius ad Odinum usqve recenset, cujusque illorum mortis & loci sepulcralis faciens mentionem (*)

Sub Haqvino Griotgardi fil. *Thiodulfus de Hvine.*

Sub Sigurdo Hladarum Comite; *Kormacus Ögmundi*

Sub Haqvino Comite Divite; *Eyvindus Finni, Einarus Skálaglam, Tindus Hallkelli, Skapto Thoroddi, Thorulfus Munnur, Eylivus Gudrunæ fil. Thorlevus poëta, Hvannar-Kalfur.*

(*) Eivindus iste Finni fil. Haqvini Regis Boni consangvineus, carmen encomiasticon de Islandis composuit, qvod insigni argenti pondere remunerarunt; adornavit qvoqve carmen, veteribus percelebre, Biarcamál hin fornu.

Sub Erico Haqvini fil. *Hallfredus Vandræda-skáld, Gunnlaugus Orms-tunga, Thordus Kolbeini, Hallthorus U-christne, Eyulfus Dada-skáld.*

Sub Svenone Haqvini, *Skulo Thorsteni, Thordus Siareki* fil., *Bersus Torfæus.* (iidem)

Sub Haqvino Comite,

Sub Ormone Comite Eylivi filio.

Sub Haqvino Comite Isari filio.

Sub Sigurdo Comite Hallvardi filio.

Sub Erlingo Skacke, *Thorbiörnus Skacka-skáld, Sugandus poëta.*

Sub Erico Sigurdi filio. (iidem)

Sub Haqvino Galin, *Snorro Sturlæus, Steino Ofeigi, Liotus, Thorsteinus Eyulfi.*

Sub Skulone Duce, *Snorro Sturlæus, Olaus Theodori, Jatgeirus poëta, Liotus poeta, Alfus Eyulfi, Sturla Bardonis, Gudmundus Ottonis.*

Schol. 2. His subnectere placet titulos qvorundam carminum, qvæ in priscis historiarum nostrarum monumentis occurrunt vel allegantur, juxta seriem Alphabeti sistendorum:

Banda-drápa, auctor *Eyulfus Dada-skáld.*

Bersauglis visur, auctor *Sighvatus Theodori.* de Magno Bono.

Blagagla-drápa, auctor *Arnorus Comitum poeta.*

Drápa

Drápa Eyriks Kongs Goda, auctor *Marcus Skeggi,*
Eyriks Drápa Hakonarſonar, auct. *Thordus Kolbeini.*
Elfar Víſur, auct. *Einarus Skulonis.*
Erfis Drápa Harallds Hardráda, auct. *Arnorus Com. poeta.*
Glælogns Qvida, auct. *Thorarinus Lof-tunga* (encomiaſtes.)
Hafgerdinga Drápa de vorticibus maris Grönlandici.
Harallds Drápa auct. *Thiodolfus* de Har. Sigurdi f.
Haufud-lauſn. *Egilli Skallagrimi,* ad Ericum Blodöx.
Haufud-Lauſn *Thorarini Loftungæ* ad Canutum M.
Hákonar Drápa; auct. *Guttormo Sindri* ad Haqvinum Adalſteini nutritium.
Jarls-níd, *Thorlevi Comitum poetæ* in Haqvinum Sigurdi, qvo pertinent Konar- og Þoku-víſur.
Knuts Ríka Drápa, *Sighvati Theodori,*
Knúts Ríka Drápa, *Ottaris Nigri.*
Magnuſs-Drápa, *Arnoris Com. poetæ* de Magno Bono.
Nizar-víſur *Stenonis Herdíſæ fil.* de Haraldo Sigurdi.
Olafs-Drápa, *Hallfredi* de Ol. Tryggvino.
Olafs Helga Drápa, auct. *Einarus Skulonis*
Rekſtefia, auct. *Marcus Skeggi* f. de Ol. Tryggvino.
Sigurdar Drápa, auct. *Kormakus* de Sigurdo Comite Hladenſi.
Sigurdar Balkur, *Ivari Ingemundi* de Sigurdo Slembe
Skialfhenda forna, *Thordi, Veile* dicti.
Stuttfelldar Drápa, *Thorarini* de Sigurdo Hieroſolymipeta.

Sveins-flockur, auct. *Thorleikus Pulcher* de Svenone Ulfonis.

Tugdrápa, *Thorarini Lof-tungæ* de Canuto M.

Vellekla de Haqvino Divite *Einari Skalaglam.*

Uppreiſtar-drápa, ubi auctor Hallfredus ſuam ad gentiliſmum, dum in Gotlandia manſit, apoſtaſiam deplorat.

Vikarsbalkur, auctore *Starkado.*

Schol. 3. Infinita porro ſeges propemodum eſt carminum, maximam partem anepigraphorum, tum profanorum, tum ſacrorum: Ex his ſpeciminis gratia commemorare libet ſeqventia; *Leydarviſan*, hiſtoriam Biblicam breviter enarrans; *Gimſteinn*, *Blómarós*, *Kriſts Bálkur*, carmina, vitam Chriſti exponentia. *Heilags Anda víſur*, *Adams Odur*, *Seths Qvæði*, *Bodorda Dictur*, *Catechismus-viſur*, *Hugraun*, *Sólbrá*, *Dæglur*, *Fridarbón*, *Nádarbón*; his accedunt *Carmina*, defunctos ſanctos celebrantia & effundentia ſe *in laudes*, ex gr. *Beatæ Virginis*, numero qvidem ultra qvinqvaginta duo, qvæ hodiedum exſtant, *Mariæ Magdalenæ*, *Nicolai Martyris* duo, *Olavi Sancti* qvinqve, *Magni Orcadum Comitis* duo; *Pauli*, *Petri*, *Andreæ*, *Johannis*, *Bartholomæi*, Apoſtolorum; *Lazari*, *St. Ceciliæ*, *St. Agnetis*, *St. Symphoriani*, *S. Chriſtophori*, *St. Margarethæ*, *Michaëlis Archangeli* per Hallerum Sacerdotem, *Gydings dictur* de miraculoſa conſervatione pueri cujusdam Judæi, ope B. Mariæ. Superſunt qvoqve carmina moralia *Hugſvinns-mál*, *Liuflings-lióð* &c., itemqve fabuloſa hiſtorica profana, qvæ circa tempora Refor-

ma-

mationis fuſa videntur, & verſantur circa Athletas qvosdam, non abſimilia carminibus ſatis tritis, nempe: De gamle Kiœmpe = Viiſer.

MEMBRUM POSTERIUS.

Scripta qvædam Poëtica & eorum Auctores poſt Reformationem ſiſtens; & qvidem.

I. Scriptores & Scripta, qvæ ad Theologiam pertinent.

§. 2.

A ſacris dum ordior Pandectis, obſervo permultos unum aliudve caput aut certam qvandam Hiſtoriam, qvæ conciſior eſt, Biblicam, carmine vel hymno ſingulari proſecutos, qvorum plerosqve ob prolixitatem omitto, illorum tantum mentionem facturus, qvi arte poëtica conſpicui prolixiora carmina vel integros libellos adornarunt.

Initium igitur faciam a Libris Moſis, & qvidem *Geneſi*, qvam qvinqvaginta hymnis ſcite expoſuit poëta clariſſimus *Johannes Thorſteini*, dictus *Martyr*, qvod inter ardentiſſimas ad Deum preces, & ad præſentes, qvi in antrum qvoddam unacum ipſo confugerant, orationem, a piratis Algerianis interfectus erat, invaſione in Inſulas Veſtmannicas facta anno 1627. paſtor loci, pietate & vigilantia ſpectabilis: prodierunt memorati hymni Holis 1655. 1664. 1679. 1725. 1753. *Sep-*

tem

tem hymni in opera hexaëmerii creationis, Olearii exercitio pietatis subjuncti, prodierunt Skalholti 1692. *Historiam Protoplastorum qvoqve & Noachi* ligata oratione, adjectis dogmaticis & paræneticis prolixe pertractavit *Johannes Magnæus* Parochus Laufasinus, natus patre Magno Erici, Ecclesiaste Kulensi ann. 1601. a *Magno Olavio* pastore Laufasensi ab anno ætatis 4 educatus, eiqve in officio 1636. successit, vixitqve ad annum 1675. vel 1676. Huc pertinet *Colloqvium inter Deum & Evam hujusqve liberos* 3 carminibus (qvæ Holis impressa, tempore ut puto *Gudbrandi* Episcopi, nam Fragmentum tantùm vidi, capite & calce destitutum) qvod pathetice exposuit *Johannes Bernhardi*, parochus Prestholensis, cujus in officio sacro successor *Sigurdus Josephi Historiam* in carmina nonnulla transmisit.

Librum Exodi hymnis LXIX. inclusit *Gudmundus Erlendi*, poëta solertissimus, Diaconus primum Thingeyrensis, deinde pastor Modruvallensis per annos duodecim, hinc per triennium pastor Grimseyensium, & ultimo 1634. Fellensis in Tractu Slettahlid. Idem qvoqve *Historiam Simsonis, Rahabæ, Gedeonis, Jephtæ, Jaëlis, Bileami, Choræ & ejus sociorum* metro reddidit. Historiam insuper *Bileami* adstrinxerunt numeris poëticis *Hallgrimus Petræus* & *J. Magnæus* Laufasensis, qvi pro more inseruit varias doctrinas & porismata practica; prodiit hoc opus Magnæanum in nova Collectione Odarum sacrarum Holis 1757. *Librum* vero integrum *Judicum*, a morte nimirum Josuæ ad mortem Samsonis, hymnis inclusit *Jonas Sigurdi* Breidafiördensis, a *Joh. Bernhardi*, pastore Rappeyrensi, castigatis. Historiam *Ruth* tribus carminibus absolvit Anonymus qvi-

qvidam in Collectione Odarum Sacrarum Hol. 1612. publici juris facta occurentibus.

Compendium *Librorum Samuelis* carmine latino confectum dedicavit Dn. Arngrimo Jonæ auctor *Sigurdus Stephani*, Rector Scholæ Skalholtinæ; *Libros* vero *Samuelis* in ligatam transferebant orationem B. *Hallgrimus Petræus*, cujus continuatores erant *Sigurdus Gislavi* Dalensium poëta, & *Joh. Eyulfi*, pastor Gilsbackensis, septuagenarius fatis cedens 1718. qvorum hymni prodierunt Holis 1747.

Libros Regum xx. carminibus admodum prolixis inclusit laudatus *Joh. Magnæus*, ubi historiæ varia ad praxin pietatis spectantia interspersit. De *Namane Syro* carmen tecto auctoris nomine exstat in collectione odarum proxime citata. Multas insuper Historias Veteris Testamenti, qvæ occurrunt in Libris Josuæ, Samuelis, Regum, Paralipomenon & Danielis, numeris subjecit poëticis *Gudmundus Erlendi* Parochus Fellensis, cujus etiam exstant carmina (Rimur) *de Saulo & Davide* Numero xxii. *de Mose* xiii. *de Jona Propheta* iii. *de Elia Propheta* vii. *de Elisæo* viii. Prolixum deniqve carmen, qvod *Barna-rós* inscripsit, in qvo præcipua moralia, teneræ ut plurimum ætati observanda, e Proverbiis Salomonis excerpta continentur.

Psalmos Davidis fere omnes, ɔ: qvi in metra Islandica prius non erant translati & typis excusi, variis carminis generibus inclusit *Johannes Thorsteini Martyr* (cujus Psalmi pœnitentiales separatim prodierunt Skalholti 1690) editos cum argumentis Lobwasseri Hol. 1662 & 1746, necnon ad fontes expressos metris

tris minus usitatis subjecit *Otto Ottonis*, Parochus Skalholtinus & deinde Reinevallensis. *Psalmos Davidis pœnitentiales* ad svavissimas D. Kingonis melodias excgit lepidissimus poëta *Stephanus Olavi*, Pastor Vallanesensis, & Toparchiæ Mulensis qvondam Præpositus. *Commentarium* Hieronymi Savanorolæ in *Psalmum Davidis Qvinqvagesimum primum*, in XXI. Psalmos distinxit, & metris Islandicis subjecit 1672 *Gudmundus Olavi*. In Canticum Canticorum XXVI. hymnos composuit *Gunnlaugus Snorronis* Parochus Helgafellensis. *Historiam Estheræ* carminibus aliqvot comprehensam, itemqve Historiam *Susannæ*, *Judithæ* & *Tobiæ*, *librumqve Siracidis* in numeros revocatum poëticos a *Johanne Bernhardi* pastore Presthólensi, in citata Odarum Collectione deprehendes. Historiam insuper *Jonæ Prophetæ* in qvædam carmina, sæpius edita, transmisit *Hallgrimus Petræus*; Historiam *Macchabæorum Joh. Thorsteini* Martyr, ut & *Susannam*, sive Historiam Susannæ, XX. colloqviis vel scenis potius, metro Islandico, juxta qvalescunqve theatri leges concinnatis, qvæ, utpote rarissima, nondum potui integra expiscari, puto tamen hoc opusculum esse versionem Tragico-Comœdiæ Susannæ, Danice conscriptæ a P. J. Hegelundio, Episcopo Ripensi, ed. Havn. 1578.

In Libros Novi Testamenti observavi seqventia poëmata:

Magni Illhugonis, Parochi Husavikensis, versus in Libros N. T. mnemonevticos.

Gudmundi Erlendi hymnos in omnes sigillatim Evangelistas. *Johannis Olavi*, pastoris Stadensis in Reykianeso

kianofo, & hodie Tröllatungenfis in Toparchia Strandenfi, adhuc fuperftitis, in Harmoniam Evangelicam.

Einari Sigurdi, comminiftri primum ad Ecclefiam Cœnobii Modruvallenfis, deinde parochi Nefenfis, inde Hvammenfis in Nordurárdal, & ultimo Eydalenfis & vicinarum Præpofiti, Pfalmographi & Rythmiftæ, (prout eum *Magnus Olavius*, Curio Laufafinus fuo in eum leffu elegiaco falutat) præftantiffimi, de Ecclefia patriæ per annos 69. optime meriti, & Idibus Julii anno Chrifti 1626 pie defuncti, & feliciffimi plurimorum Ecclefiæ miniftrorum progenitoris, anno 1539 nati, habemus *Odas Evangeliorum*, qvæ Textus Evangeliorum Dominicales & Feftorum anniverfariorum complectuntur, ed. Hol. 1612. *Textus* qvoqve *Evangelicos* laudatus *Joh. Magnæus* Laufafenfis numeris non tantum poëticis fubjecit, fed docta fimul & pia exegefi illuftravit, hymnis interdum compluribus eandem pericopen tractantibus. Opus hoc fuum abfolvit 1661. fexagenarius. *Textus Epiftolicos* in ligatam orationem transtulit *Petrus Einari* Ballaraënfis. His adde *Pfalterium Poenitentiale*, qvod Holis 1755. excufum & anno feqvente *Pfalterium Confolatorium Thorgeiri Marci filii*, ubi Parabolæ Luc. XIV. & XV. occurentes explicantur. *Hiftoriam Infantiæ Chrifti* X. carminibus pertractavit 1656 *Gudmundus Erlendi*; *Pfalterium* autem *Natale* hymnis XXX. conftans feliciter adornavit *Gunnlaugus Snorronis*, paftor Helgafellenfis, qvod Holis anno 1751. & 1771 prodiit, & foluta paraphrafi ed. Hol 1770. poftea diductum eft a *Stephano Halthori* f. Parocho Mirkäenfi. *Hiftoriam Paffionis* Salvatoris noftri certatim ligata oratione pertexuere noftrates, in qvibus præcipui:

Hall-

Hallgrimus Petræus, qvi *Psalterio Passionali*, sive hymnis L. non historiam tantum, sed exegesin nostra laude majorem, ita adornavit, ut sine controversia primas teneat. (a) Psalterium hoc prodiit vivo auctore 1666 & multoties postea. Tantum Virum imitatus est Poëta currentis seculi inter præstantiores *Thorbergus Thorsteini*, totidem hymnis Historiæ passionis qvandam partem pertractans, materiam ex meditationibus passionalibus Joh. Thomæ Bangii Pastoris Sællandi, mutuatus.

Ipsam Passionis Historiam præterea agressi sunt in metra Islandica transferre poëtæ solertissimi *Joh. Magnæus* Laufasinus, cujus hymni passionales editi sunt Skalh. 1690. *Gudmundus Erlendi*, cujus hymni prodierunt Holis 1660. *Stephanus Olavi*, *Arngrimus Jonæ*, *Otto Ottonis* Reinevallensis; Nuperrime vero *Joh. Widalinus* pastor pridem Laufasinus, & Toparchiæ Thingeyensis Præpositus, qvi hymnos VII. passionem Christi decantantes ex Danico non illepide vertit.

De VII. verbis Christi in cruce totidem hymnos composuit *Joh. Magnæus* Laufasinus, idemque præstiterunt *Benedictus Magni Bech*, Choronomus Skagafiordensis, & *Bryniulfus Hallthori*, Pastor Kirkubæensis, Nomarchiæ Mulensis Præpositus, qvi obiit 1737. *Horologium passionis Christi* e Danico transtulit *Bernhardus Gizeri*, Parochus qvondam Thingmulensis, obiit 1712 anno æt. 91. *St. Bernhardi Orationem*, qva membra Christi in cruce pendentis salutat, in vernaculam metrice transtulit *Arngrimus Jonæ* (b), qvæ latine & Islandice prodiit Hol. 1618 & iterum Skalholti, tantum Islandice, 1690. *Psalterium Triumphale* sive Historiam Resurrectionis Christi cum docta & pia exe

ges

gesi concinnavit *Steno Johannis* Episcopus Holensis, prod. Hol. 1726 & sæpius.

Vitam Apostoli Pauli ex actis Apostolorum collectam XIIX. carminibus complexus est 1659. *Gudmundus Erlendi*, eundemqve in se laborem feliciter suscepit *Ericus Halleri*, parochus Höfdensis. Colophonis loco addendum putavi *Kolbeini Grimeri* carmen valde prolixum, *Dæma-þatt* vocatum, qvod exemplis Historicis, e S. Scriptura petitis, præcipuas teneræ ætati virtutes inculcaturus ethicam qvandam paradigmaticam compilare voluerit.

(a) Natus est poëta ille devotissimus æqve ac lepidissimus anno superioris seculi decimo qvarto, in ministrum cætus Hvalsnesensis ordinatus 1644. promotus ad parochiam Saurbajensem 1650 qvam morbo gravi correptus successori suo Johanni (Hannæ) Biörnonis anno 1669. reliqvit, obiit vero anno Christi 1674. Cætera qve ejus vitam & scripta concernunt, legi possunt in curriculo vitæ ejus, qvod Poëmatibus ejus sacris & moralibus, ultimo editis, præfixi.

(b) Qvod accuratus fuerit poëta, qvamvis non æqve lepidus, in patria lingva, doctissimus ille Arngrimus, Pastor Melstadensis & Widalinorum progenitor, testantur non tantum excitata poëmata, sed etiam carmina aliqvot *de aqvila*, (ubi ad Symbolum suum: *Aqvilæ Instar fides*, alludit) qvæ illi adscribuntur, & ejusdem conspicillum *Qvotidianum*, carmine latino & Islandico, qvod

 impres-

impressum est Holis 1594. Carmen deniqve morale, qvod *Gúdrækne* (pietas) appellatur, nondum editum.

§. 3.

Præter *hymnos primis & ultimis hyemis & æstatis*, juxta computum Islandorum politicum, cantandos *diebus*, multosqve alios varii argumenti, *L Meditationes Joh. Gerhardi* totidem hymnis multoties editis paraphrastice includebat *Sigurdus Johannis*, qvi Parochiam Presstholensem adiit 1625, qvæ præterea meditationes in totidem hymnos versæ a *Joh. Magnæo* Laufasensi supersunt; qvinqvagesimam autem primam meditationem in ligatam transtulit orationem *Joh. Einari*, Scholæ primum Skalholtinæ hypodidascalus, deinde Rector Scholæ Holensis designatus. *Praxin* sive Exercitium *Pietatis quotidianum* Beati Gerhardi, hymnis XLVI. Hol. 1772. ultimo editis, laudatus *Sigurdus Johannis* exposuit.

Meditationes Sanctorum Patrum, per Mart. Mollerum collectas, Anonymus qvidam, qvem vixisse puto seculo proxime elapso, hymnis CXXV. complexus est. Idem qvoqve saxum sibi volvendum sumsisse *Arnam Bödvari*, certum est. *Snæbiörnus* vero *Halleri* annis 1749 & 1750. ad umbilicum fere perduxit idem opus, in capite X. definens, qvi suos hymnos mihi relegendos misit.

D. Joh. Arndtii Hortulum Animæ Paradisiacum in CXXX. circiter hymnos transmisit *Ericus Halleri*, pastor Höfdensis in Toparchia Thingeyensi, qvos d. 21 Sept. 1676. dedicavit Matronæ Nobilissimæ, Ragnheidæ

dæ Johanneæ, Gislavi tum Thorlacii, post Einari Thorsteini, Episcoporum Holensium conjugi.

Soliloqvia Mölleri in hymnos redegit *Petrus Einari*, Matronæ Nobili Valgerdæ Gislaviæ dedicatos; prodierunt Holis 1661. *C. E. Rachlovii Threnodias*, vulgo Taare Perse, usitatis Islandorum metris, svasu Magni Biörnonis choronomi Snæfellnesensis poëta ingeniosissimus *Gudmundus Bergthori* alligavit, qvas etiam xxIIX. hymnis lepide exposuit & publici juris fecit Hol. 1719. laudatus Præsul *Steno Johannis* (a), qvi aliqvot præterea hymnos varii argumenti composuit. *Wal. Wudriani Scholam Crucis* xxx. hymnis inclusit, qvem nuper laudavi, *Johannes Einari.*

Oeconomiam Christianam s. tabulam officiorum in societate domestica & civili, aliqvot carminibus prolixis & nervosis a *Joh. Magnæo* Lausasensi comprehensam, sumptibus Johannis Johannæi choronomi Eyafiördensis, edidit Havniæ auctoris pronepos D. Gislavus Magnæus, nunc diæceseos Holanæ Præsul gravissimus anno 1734 in 12 obl. Eadem qvoqve carmina prodierunt Hrappseyæ 1774 in 8. Laudati etiam *Joh. Magnæi* supersunt hymni xx. parænetici in gratiam cujusvis status.

Librum precum Thordi Bardonis Parochi Torfastadensis numeris subjecit poëticis *Benedictus Magni Bech*, choronomus Skagafiordensis, qvi obiit anno ætatis 45 sed post Christ. nat. 1719 d. 7 Maji, cujus hymni seorsim prodierunt 1731, preces vero unacum dictis hymnis Hol. 1745. & sæpius deinceps.

Hvalsöes catenam Spiritualem in hymnos transfudit *Magnus Illugonis* Parochus Husavikensis.

Diarium Christianum Hallgrimi Petræi metrica Paraphrasi exposuit *Johannes Sigmundi*, pastor ultimò ad Cænobium Thychvabajense, qvi anno æt. 85. hujus vero seculi 25. obiit. Ejusdemque auctoris *meditationes hebdomadales* hymnis inclusit *Ericus Halleri* Parochus Hofdensis.

Joh. Widalini Verum Christianismum numeris subjecit poëticis *Vigfusus Helgonis* Nosocomii Eyrensis Administrator hodie superstes. *Alteram partem hymnorum Doct. T. Kingonis*, Episcopi Fionensis in orationem ligatam ab *Arna Thorvardi*, pastore Tingvallensi & Nomarchiæ Arnesensis præposito, qvi obiit 1702 edidit Skalh. 1693 Mag. *Theodorus Thorlacius* Episcopus Skalholtinus.

Sam. Ol. Bruun Pastoris Krageröensis in Norvegia Siungende Tidsfordriv, in ligatam orationem transtulit *Tirfingus Finnæus* Verbi Dei minister.

Expositionem Catechismi B. Lutheri ab illust. *Pontoppidano* pie & docte adornatam in hymnos L. dictis f. scripturæ probantibus adjectis ante aliqvot annos defunctus transmisit *Gudmundus Johannis* Parochus Krossensis, & ante illum usqve ad ultimam Catechismi partem *Thorvaldus Magni*; Ipsum vero *B. Lutheri Catechismum* in hymnos misit *Johannes Einari*, Verbi Dei minister Arskogensis, publicæ luci datos 1674.

Hym-

Hymnorum Poenitentialium a Sigv. Lycke conscriptorum versionem metricam typis Holensibus subjecit 1775 *Olavus Gislavi*, Parochus Stadarholensis.

Qvi *hymnos matutinos* & *vespertinos*, qvovis septimanæ die adornarunt, permulti sunt, e qvibus numerare jam sufficiat *Ottonem Einari* Episcopum Skalh. cujus aliqvot hymni in *Gradualibus* sic dictis deprehenduntur; *Sigurdum Gislavi* Dalensem, qvi cum in hymno diei Veneris vespertino desineret, opusculum affectum continuavit *Sigurdus Pauli*, Nomarchiæ Hnappadalensis incola; *Johannem Magnæum*, pastorem Laufasensem, qvi binos hymnos per septimanam canendos reliqvit, in publicam lucem typorum beneficio aliqvoties emissos, itemqve *Horologium Spirituale*, XII. hymnis constans; *Arnam Sigurdi*, e libro precum *Hvalʃöes*, *Sigurdum Johannis* Prestholensem ex D. Josuæ Stegmanni libro precum, ed. Hol. 1751 - 1772 materiam sumentes; *Stephanum Olavi*, apud Vallanesenses Verbi Dei ministrum & Nomarchiæ Mulensis præpositum ad annum emortualem 1886, qvi *Odas Kingovianas* lepidissime transtulit, impressas Skalh. 1686 recusas Holis 1751 & 1772. *Kolbeinum Grimeri* materiam suis hymnis hebdomadalibus libro precum D. *Joh. Havermanni* suppeditante, ed. Hol. 1682; & *Sigurdum Asgeiri*, qvi 1676 vixit: Accedunt poëtæ hujus Seculi *Benedictus Magni Bech* qui suos hymnos e libro precum Lassenii deduxit; *Johannes Vigfusi* pastor Skardensis in Medallando; *Steno Johannis* Diœceseos Holanæ antistes, e libro precum Olearii materiam sumens; *Thorsteinus Sigurdi*, *Olavus Gunnlogi*, *Sveno Ögmundi* filius 1740. *Asmundus Johannis* pastor Skógastrandensis, *Sigurdus Theodori* pastor Briamslækensis,

Benedictus Sigurdi Fliotensis, *Thorvaldus Magni*, qvi preces Lassenii abbreviatas matutinas & vespertinas in hymnos vertit, editos Hol. 1757, qviqve Stegmanni Salutationes matutinas & vespertinas in hymnos, qvi adhuc inediti, convertit; *Gunnlaugus Snorronis*, cujus *Viku - verk* sive opusculum Hebdomadale ex Joh. Lassenii Libro precum Havniæ 1696 impresso desumtum XIV hymnis matutinis & vespertinis, nec non VII. pœnitentialibus absolvitur; *Johannes Theodori* pastor Sandensis, *Thorsteinus Ketilli*, pastor Hrafnagilensis, & Toparchiæ Vadlensis Præpositus; *Sigurdus Gislavi* Steingrimsfiordensis; *Sveno Ögmundi* Bardastrandensis; *Thorbiörnus Salomonis* hodie superstes, qvi trinos istius modi hymnos composuit annis 1727. 1742. & 1750 Lassenii librum precum in ultimis secutus; *Einarus Gudmundi*, *Thordus Josephi* Adalvikensis, *Gudmundus* deniqve *Johannis*, parochus Steinsholtensis usqve ad ann. 1707, qvi etiam ex Lassenii Libro precum materiam mutuatus est, sed cum operi tantum affecto immoreretur, telam, qvam exorsus est, ad finem perduxit *Johannes Bernhardi* parochus Rappseyrensis. Hymnos matutinos VII. composuit *Johannes Gudmundi* parochus Arskogensis, & vespertinos totidem alter *Joh. Gudmundi* Fellensis parochus in tractu Slettahlüd, multorum præterea poëmatum sacrorum auctores. Hymnos Olearii, ad qvemvis anni mensem pertinentis (*Manada - Saung*) e Germanica lingva in vernaculam transtulit *Steno Johannis* Episcopus Holensis, ed. Hol. 1727.

(a) Natus est vir ille de Ecclesia Dei bene meritus in villa pastorali Hialltabacke d. 30. Aug. anno 1660. patre loci parocho Johanne Thorgeiri filio

filio, non infelice poëta, qvi cum tribus ſuis uxoribus XXXIII. liberos ſuſcepit. Patre mortuo annos octodecim natus ſcholam Holenſem adiit, ubi qvinqvennium commoratus eſt, & ſeqventi anno, ad majorem profectum, exercitiis ſcholaſticis, poſt obtentam dimiſſionem interfuit. Anno 1686 albo Studioſorum Univerſitatis Havnienſis inſcriptus Wilh. Wormio privato præceptore uſus, & examine Theologorum defunctus in patriam rediit 1688. Mox ut Comminiſter adſcitus in Parochiam Hytardalenſem, deinde triennio ſupra dimidium elapſo paſtor cathedralis Skalholtinus, hinc Hytarneſenſem parochiam, illinc exacto ſexennio Setbergenſem, adiit. Vacante ſede Epiſcopali Holenſi anno 1710 Havniam reviſit, & Feſto Trinitatis 1711 faſcibus Epiſcopalibus admotus, & ſolenni ritu inauguratus a Chr. Wormio, in patriam redux Epiſcopatum proximo anno adiit, cui cum laude præfuit ad diem emortualem, qvi ei contigit 2. Dec. anni 1739.

§. 4.

Præter libros, qvi complectuntur cantilenas feſtis diebus & ſacris publicis deſtinatos, *Miſſaticos* vel *graduales*, dictos, qvorum prima Editio prodiit Holis in forma qvarti 25 Octobr. 1594 (a) ultima vero, nimirum XVIII anno 1773 in 6, qvorum plerisqve ad calcem ſubtexitur *manuductio ad muſicam vocalem artificialem a Theod. Thorlacio* Epiſcopo Skalholtenſi concinnata; exſtat collectio hymnorum ſacrorum per *Martinum Einari* Epiſcopum Skalholtenſem, qvæ prodiit

Havniæ 1555. altera qvoqve per ejus fucceſſorem *Giſlavum Johannis* impr. 1557. Novam ad hæc collectionem hymnorum adornavit *Gudbrandus Thorlacius* opera ut plurimum *Olavi Gudmundi*, parochi Saudaneſenſis, poëtæ præſtantiſſimi, in hymnis tum antea editis emendandis, tum de novo concinnandis, uſus, editam Holis 1589 & 1619. qvam denuo recognitam & auctam edidit filiæ Beati Gudbrandi nepos *Giſlavus Thorlacius* etiam Diœceſeos Holanæ Præſul 1671, qvæ collectio deinceps impenſis & cura Mag. *Joh. Arnæi* Epiſcopi Skalholtenſis Havniæ 1742 & iterum ibidem, impenſis *Petri & Sigurdi Thorſtenſoniorum* 1746 aucta deniqve odis Kingovianis, a *Stephano Olavio* verſis cura *Halthori Brynjúlfi* Epiſcopi Holenſis prodiit Hol. 1751 anno autem 1772 recuſa eſt hæc collectio, mea qvalicunqve opera multum auctior, & in duos Tomos diſtincta. Datur adhuc alia *collectio hymnorum & carminum ſacri argumenti bipartita*, edita a Gudbrando Thorlacio in 4 anno 1612 & iterum a laudato Epiſcopo Brynjúlfio 1748. adjectis aliqvot carminibus *Hallgrimi Petræi* inter qvæ carmen *Alldar-háttur*, genium ſuperiorum & recentiorum ſeculorum ob oculos ponens, & ab *Eyulfo Jonæ* paſtore Vallenſi notis philologicis illuſtratum: prior hujus collectionis pars conſtat maxima ex parte poëmatibus *Einari Sigurdi* Eydalenſis parochi, qvi maximam ſuam ætatem, inprimis ab anno ætatis trigeſimo, hymnis & carminibus ſacris, qvorum primum *Hug-bót* (animi medelam) vocavit, elaborandis exegit. Poſterior vero pars carmina ſacra & moralia complectitur variorum auctorum, utpote *Joh. Aræ* f. Epiſcopi, *Johannis Bernhardi* Preſtholenſis, *Olavi Gudmundi* Saudaneſenſis, *Olavi Einari* Rectoris per ſeptennium Scholæ Skalholtinæ & dein Parochi Kyrkebajenſis

bajenſis & Nomarchiæ Mulenſis Præpoſiti, qvi obiit 1651. *Arngrimi Jonæ Widalini*, multorum præterea. Prodiit adhæc *Collectio hymnorum* & *carminum ſacrorum bipartita* auſpiciis Biörnonis Marci, orientalis & meridionalis Islandiæ Nomophylacis, edita Holis 1757 (b) *Poëmata Sacra* maximam partem inedita *Hallgrimi Petræi*, publicam videbant lucem 1755 aucta vero & emendata prodierunt Hol. 1759. 1764 1770 & 1773 compendio Vitæ Auctoris & recenſu ejus lucubrationum a me præmiſſis: Edita ſunt inſuper hæc poëmata juxta editionem Holenſem antepenultimam Havniæ 1770. Duo inſuper poëmata ſatis prolixa, qvorum prius agit de *juſto circa divitias* conqvirendas & adminiſtrandas *moderamine*, poſterius, qvod *Typus morientium* nuncupatur prodierunt Holis, 1752. qvorum auctor eſt *Joh. Magnæus* parochus Lauſaſinus. Superſunt præterea ſacrorum poëmatum inediti faſciculi variorum auctorum, utpote *Gudmundi Erlendi* Fellenſis, *Olavi Johannis* Sandenſis (c), *Bernhardi Gizeri* Thingmulenſis, *Joh. Magnæi* Lauſaſini, *Olavi Einari* Kyrkebajenſis, *Johannis Gudmundi* Fellenſis, verbi Dei miniſtrorum, *Johannis Thorkilli*, *Snæbiörni Halleri* & aliorum complurium. Addi his merito poſſent, qvorum hymni hinc illinc miſcellanei obvii ſunt, *Johannes* nimirum *Martyr*, *Olavus Gudmundi* Saudaneſenſis, *Arnas Thorvardi* Thingvallenſis, *Joh. Gudmundi* Arſkogenſis, *Magnus Petræus* ad Cœnobium Kyrkebajenſe Parochus, & Toparchiæ Skaftafellenſis Præpoſitus, *Ericus Halleri* Höfdenſis, *Joh. Theodori* Hvammenſis, *Thorvaldus Stephani* Holenſis, *Stephanus Olavi* Vallaneſenſis, *Thorſteinus Olavi* Micklagardenſis, *Sigurdus Johannis* Preſtholenſis, *Benedictus Jonæ*, Biarnaneſenſis, *Jonas Eyulfi* Gilsbachenſis, *Johannes Thorgeiri* Hialtabackenſis,

Johannes Aræ fil. Vatnsfiördensis, verbi Dei præcones & nuper defunctus *Thorlacus Thorarinus*, Toparchiæ Vadlensis Præpositus, & ad Cænobium Mödruvallense primum Diaconus, deinde verbi Dei ibidem minister (d) *Benedictus Bech*, *Johannes Eyulfi*, Nomophylax designatus, *Thorbergus Thorsteini*, *Sigurdus Gislavi*, *Bergthorus Ottonis*, *Snæbiörnus Halli*, qvin & superstites: *Hallgrimus Elldjarni*, curio Grenjadarstadensis, *Gudmundus Hugonis*, ad templum qvod in Insulis Vestmannicis est, verbi Dei minister, *Magnus Einari*, pastor Tiörnensis, *Petrus Biörnonis* pastor Tiörnensis in Vatnsneso, & sexcenti alii qvorum hymnos oculis lustravi.

(a) Ad finem hujus Gradualis Lectores ita affatur B. Gudbrandus: „ Habes, Christiane Lector, „ diu desideratum *Graduale*, habes etiam *Manuale*, ut vocant, in qvibus cantiones & ceremoniæ ecclesiarum comprehenduntur. Si „ autem te aliqvid offenderit, aut si qvid desideratur, tuum erit boni consulere. Vale! « Præmittit Editor Præfationem *Ottonis Einari* Episc. Scalh. (qvæ Præfatio etiam retinetur in nonnullis seqventibus Editionibus) item Friderici IIdi Edictum ad Gislavum Johannis & Gudbrandum Episcopos, ut colligant hymnos, & aptum ordinem in publicis sacris constituant, dat. Fridericoburgi, 29 April 1585. Ad calcem subjiciuntur selectæ orationes, qvæ in templis recitentur, mox præfatio Lutheri de Sacramenti Baptismi administratione & deinde *Manuale* in gratiam simpliciorum parochorum, de Sacramentorum administratione, matrimonii in-

ineundi solennibus, visitatione ægrotorum, & id-genus pluribus, ad officium ministri Ecclesiæ rite gerendum spectantibus.

(b) Contra carminis cujusdam parænetici, qvod in dicta collectione P. II. ultimum reperitur, stropham secundam Carmine Havniæ impresso Anonymus qvidam obstrepuit, qvem & nonnulli, signo velut dato, secuti sunt; alii contra assertionem auctoris mitius habebant, qvinimo defendebant, cum prædicata propositionis subjecto variis epithetis limitato responsura judicarent. Certe, qvantum hinc judicare possum, nec Editor nec Auctor bonos unqvam cives traducendi pruritu laborarunt.

(c) Natus est poëta hic vere egregius ingenuis parentibus ortus 1560 patre Johanne Erlingi filio, incola Stóra Laugardalensi in sinu Tálknafiord, matre Christina Olavi filia. Post patris obitum ab Eggerto Hannæo Nomophylace & mox ab ejus genero Magno Johannæo educandus admittitur, post privatam & publicam informationem parochiis Saudlauksdalensi & Raudasandensi 1590 præficitur, postea vero 1596 præbendæ Sandensi in Dyrafiord, & adulta jam æstate 1627 obiit.

(d) Fato functus est *Thorlacus Thorarinus* d. 9 Julii 1773 cujus pleraqve poëmata sacra una cum ipsius Biographia in lucem publicam emisi 1775.

II. Poë-

II. Poëtas qvi post tempora Reformationis varia carmina argumenti inprimis Historici & profani concinnarunt.

§. 5.

Arnas Bödvari Historias (a) Johannis Ludionis carminibus VIII. (b) Grimi Comitis filii IV. (c) Haraldi Hringicidæ XII. (d) Thorsteini Skelk I. Porro *Johannis Arnæi* choronomi Snæfellensis hortatu (e) Alexandri & Ludovici VIII. (f) Asmundi Piratæ XIV. Droplaugæ filiorum XXII. (h) Hallfredi (Poëtæ difficultatem struentis, vulgo Vandræda-skáld) XII (i) Hialmtyri & Aulveris XII. (k) Hördi & Holmverensium XVI (l) Thorgeiri Havardi & Thormodi Kolbrunar-skáld dicti XXII. (m) Volsungorum, Budlungorum, Giukungorum & Ragnari Lodbrók XXXVI. (n) Thorsteini Tauripedis X. (*) Historiam deniqve de pugna Bravallensi x. & Historiam Halfi Regis & ejus Athletarum, carminibus inclusit. Continuavit porro x. carminibus inceptos a Thorlako Gudbrandi filio Rythmos in Historiam Ulfonis Robusti (**) & qvam plurima alia carmina sacri & profani

(*) Hæc carmina excusa sunt Havniæ 1772 cum Olai Olavii indice & explicatione appellationum poëticarum in eis obviarum.

(**) Hoc utriusqve opus Hrappseyæ 1775 in 8vo una prodiit.

profani argumenti fudit & fundit folertiffimus Poëta,

Asgrimus Magni, Höfdenfis, hiftoriam Viglundi & Ketilridæ xv. carminibus, fed III. Aulkofræ hiftoriam pertractavit, multorum præterea carminum auctor.

Asmundus Sæmundi, ex Nomarchia puto Vadlenfi, Hiftoriam Hervoræ carminibus xx. non inepte inclufit.

Bergfteinus Cæcus, obfcuro loco natus, lepidus poëta, eoqve victum apud Magnates qvæfivit, Hiftoriam Julinenfium numeris adftrinxit poëticis.

Bergthorus Ottonis, Flateyenfis, vixit vergente feculo XVII. Hiftoriam Ulfi Uggonis VI. & Remundi XX. carminibus abfolvit.

Bernhardus Bernhardi, Hiftoriam Johannis Somniantis (Drauma-Jóns) VI. Rythmis inclufit.

Bernhardus Johannis Knörenfis, medicinæ ftudio addictus, præter varia carmina Hiftoriam Fridulfi Strenui metris fubjecit.

Bernhardus Einari, occidentalis Islandiæ cives, de Káro Kari filio & Gefto Bardonis nonnulla carmina compofuit.

Bernhardus Johannis Hufafellenfis, præter carmina de hominibus Lynceis & nonnulla alia mifcelli argumenti Hiftoriam Flori XVI. carminibus aggreffus eft, qvam ad finem perduxit, Hallgrimus Petræus,

Biörno

Biörno Johannis Skarzaënſis, Hiſtoriam Apollonii & de VII. Sapientibus carmine pertexuit: hanc Hiſtoriam de VII. Sapientibus a *Biörnone Sturlæo* in carmina miſſam, alii qvoqve teſtantur, qvi vitam & præcipuos a Gudbrando Epiſcopo libros editos carmine recenſuit.

Bryniulfus Hallthori paſtor Kyrkiubayenſis, Hiſtorias Magi Callidi, Halfdani Regis Eyſteini f. Thorſteini Bæarmagn dicti, ut & furis cujusdam verſutiſſimi in carmina miſit, variorum inſuper poëmatum auctor.

Brynjulfus Olavi, Hiſtoriam Thorſteini Bæarmagn carmine reddidit.

Egerhardus Olavi, Islandiæ orientalis & meridionalis deſignatus Nomophylax, antiquitatum & Phyſices ſtudioſus, permulta carmina hiſtorica moralia & jocoſa reliqvit; mari ſubmerſus, ſinum Breidafiord nave tranſiturus, unacum uxore & qvibusdam domeſticis ob. 1768. antiqvæ Islandorum poëſeos ſolers imitator.

Einarus Gudmundi Færeyenſium res geſtas carminibus aliqvot celebravit.

Ericus Bernhardi, paſtor ultimo Hvalsneſenſis, Hiſtoriam Laxdalenſium & Hrafnkeli Freysgoda dicti carminibus aliqvot incluſit.

Ericus Einari, paſtor Höfdenſis, Hiſtorias Halfdani Eiſteini fil. Rolfonis Pedeſtris, Nididæ celebris, Bardonis Snæfellenſium Deaſtri, Buonis & Jökli, item Herodis Magni, Antipæ & Agrippæ, Pilati, Ulyſſis, Samſonis, Ymi Gigantis, in carmina Islan-

landica convertit. Præterea cæptam a *Johanne Egerhardio* Verſionem Fabulæ de Mago Comite continuavit, & 4. & 5 libellum fabulæ de Zedras Rege compoſuit, cum priores tres *Johannes Egerhardius* abſolviſſet, & generum oraſſet, ut ad finem perduceret fabulam.

Giſlavus Johannis, Melrackadalenſis, magiæ ſuſpectus, & variorum carminum ſuperſtitioſorum auctor, Hiſtoriam *Ala-flecki* carmine pertexuit. Obiit repentina morte 1671.

Giſlavus Johannis, obſcurus & obſcuri generis homo, qvem a priore diſtingvendum puto, Hiſtoriam Sigurgardi & Valbrandi & fabulam de Ala-fleck metro reddidit.

Gudbrandus Arngrimi Widalinus, choronomus Toparchiæ Hunavatnenſis, ob pietatem infucatam & hoſpitalitatem laudatus, poëtis non immerito felicioribus annumerandus, Hiſtoriam Judæ Macchabæi, & Hiſtoriam Rolfonis Gautreci, hanc qvidem juvenis, in carmina flosculis pulcherrimis ornata, vertit.

Gudmundus Andreæ, Lexici auctor, Hiſtoriam de Perſeo in carmina transtulit, ſoli numeroſitati deditus (*)

Gud-

(*) Carmina Gudmundi de Jove Cretio, capite Gorgonis, nec non Ægide, (qvæ non vidi) laudibus mirum in modum extollit harum rerum judex minus competens Reſenius, in Præf. ad Lexic. Isl. p. 16.

Gudmundus Bergthori, natus Karastadii (aliis Stopum) in tractu Vatnsnes: admodum puer contabuit, sed thermarum usu anno æt. 15. adeo revaluit, ut sinistra manu scribere posset, dextra nec non inferioris corporis parte tabe confecta. Circa annum ætatis vigesimum in Nomarchiam Snæfellensem commigravit, in eodemqve tractu, tum carmina pangendo, tum pueros literas formare & legere docendo vitam sustentavit, donec qvinqvagenarius placida morte obdormiit 24 Martii 1705. Seqventes historias ingeniosissimus poëta lepidissimis absolvit carminibus. Nempe: Holgeiri Dani carminibus LX. Otuelis VIII. Sigurgardi & Valbrandi Mali XIIX. Dionysii Superbi XVII. Finnbogi Robusti XXIV. Thoreri, cui Gallinæ cognomen dederunt, X. Trojanorum XXVI. Samsonis Pulchri XVI. Bertrami, ni fallor, V. Erici Peregrinatoris & Kraklingorum XVI. Feracuti & Balantis XXIV. Jarlmanni & Hermanni XIIX. Bosæ & Herraudi XV. ubi in Præfamine octavi carminis, qvo ultimam harum historiam tractat, hæc sua opera recenset. Scripsit præterea varia epitaphia, carmina sacra, moralia & jocosa, qvo pertinent: Schola Philosophorum, & Athletarum encomia.

Gudmundus Erlendi, Parochus Fellensis, Prædonum Algerianorum rapinas & maleficia in Islandia 1627 perpetrata 5 carminibus descripta posteris reliqvit. Historias qvoqve Herodis Ascalonitæ, Pilati, Vilbaldi & Æsopi in ligatam orationem misit. Ipse qvoqve præterea varia moralia & jocosa scripsit, carminibus elegantioribus Fabula-

rum

rum Æsopi Libr. 1 & 2. itidemqve Fabulas & Historias e variis auctoribus collectas inclusit. Composuit etiam carmina bene multa de avibus & qvadrupedibus, qvibus semper brevem, sed egregiam, apodosin adjecit.

Gudmundus Olavi, apud Svecos Antiqvarius, vir felicioris venæ, Historias Sigurgardi & Valbrandi, itemqve Sigurgardi Strenui, numeris subjecit poëticis.

Gunnarus Pauli, Scholæ Holensis qvondam Rector, nunc vero Toparchiæ Dalensis Præpositus & Parochus Hiardarholtensis, & inter primos nostri ævi Poëtas vere numerandus, permulta carmina lingva patria fudit ex qvibus, præter nonnulla alia, *Gratiarum Actio ad Frid. V.* ob duas naves onerarias, Islandis donatas, Islandice & Latine; *Encomium Libri de Islandia restauranda* a J. Erici editi; *Varudargiæla* s. censura carminis parænctici, in collectione carminum sacrorum Holensi, de qva supra, editi; *Gratulatio* ad editionem Gunnlaugs-Sagæ Islandice; *Matthildar-qvida* vero, s. interpretatio gratulationis Excell. Reitzensteinii ad Carolinam Mathildam Daniæ Reginam, una cum originali Germanico ad latus, & notis Philologicis latino - Islandicis, dudum edita sunt. Ex ineditis autem *Gryllo-talpam*, & alia *satyrica*, nec non *Gunnarskvædi* s. Encomium Gunnaris de Hlydarenda, qvo Kiartanem qvendam Magni, ad Kiartanem Olai Hiardarholtensem carmine encomiastico celebrandum incitavit, plurimum in Islandia laudari & avide exscribi accepimus.

F Hal-

Hallerus Magni, (qvi obiit circa 1587) Historias Ingvari & Vilmundi Vidutan in carmina misit.

Hallgrimus Hallthori, ante paucos annos denatus, Historiam Ambaëlis & plura ejusmodi metris subjecit.

Hallgrimus Petræus, Historiam Refi Callidi & Magelonæ carminibus aliqvot inclusit; continuavit carmina in Historiam Flori & filiorum ejus, a Bernhardo Husafellensi cæpta; illi qvoqve tribuuntur carmina, qvæ exponunt Historiam Partalopæ & Marmoriæ.

Johannes Gotskalki, Historiam Erici Peregrinatoris carmine complexus est.

Johannes Grimeri, pastor Hialltabakkensis, duo carmina prolixa scripsisse fertur, poëtarum in qvadrante Islandiæ boreali recensum exhibentia; contra Gudmundum Bergthori filium unacum aliis, in controversia de Calanticis, calamum strinxit, & varia jocosa reliqvit. Obiit 1724.

Johannes Gudmundi, pictor dictus, Hispanorum in Qvadrantem Islandiæ occidentalem invasionem & latrocinia aliqvot carminibus descripsit: Historiam præterea Fertrami & Platonis, Armanni & Thorsteini Gaala metro reddidit: variorum insuper carminum, superstitionem olentium, ut Somnii Kautlæ, Fiandafælæ (Dæmonum terriculamenti), & Vitæ suæ Compendii, Fiolmod dicti, auctor.

Johannes Gudmundi Raudseyensis; Historiam Remundi carminibus XXIV. Egilli Skallagrimii XL. Anno 1643

1643 Gretteri Robusti & plurium metro reddidit (*).

Johannes Gudmundi, pastor Asskogensis, qvi obiit 1696. Historiam Lutheri a Schlüsselburgio conscriptam in ligatam orationem transtulit, variorum insuper carminum Auctor.

Johannes Eggerti, Cænobii Mödruvallensis Administrator, juris patrii inter peritissimos sui ævi habitus, qvi post varias lites, qvas cum Proceribus patriæ diu multumqve aluit, opibus tandem exhaustus, cum de suis inimicis nullam factorum sumptuum restaurationem obtineret, in Sveciam abiit, ubi honorifice excipitur, post aliqvot menses diutinæ fatorum iniqvitati, postqvam Consul Malmöensis designatus fuit, ereptus Holmiæ 16 Octob. anno 1689. Historiam Magi Callidi, Fertrami & Blomsturvallensium in ligatam orationem numerose misit.

Johannes Helgonis Historiam Rolfonis Pedestris nuper in carmina misit.

Johannes Johannis fil. Olafsvikensis Historias de Thorsteino Tauripede & Sörlone Robusto nonnullis Rythmis complexus est.

F 2 *Jo-*

(*) Carminum suorum, qvæ CLXXXIX numerat, mentionem facit his verbis:

" Þá kalldur er ordinn kallinn Ión, og kominn ad
" Elli beigiu, berast munu færre Bögur ur Són, bur-
" tu Rauds frá Eyu; Níu og Sextíu Frosta för,
" framm yfer hundrad stærsta, Þulit hefur mín
" Þagnar vör, Þó sie stöpult næsta.

Johannes Johannis fil. *Rugmannus*, Collegii antiqvitatum in Svecia Adjunctus, Threnodiam composuit in obitum illustriss. Comitis Magni Gabrielis de la Gardie, lingva Islandica ed. Ups. 1664 in 4.

Johannes Johannis Stadarhraunensis, Historiam Jomsvikensium metris inclusit.

Johannes Johannis fil. Vattarnesensis, Historias Ulfaris Robusti, Aunundi Pulchri & Trojanorum numeris poëticis eleganter adstrinxit.

Johannes Magnæus Lausasinus, præter varia poëmata, inprimis sacra, Grobiani & Grobianæ monita (ex Frid. Dedekeni opere sub eodem titulo edito Francof. 1564. forte deducta) cum Apodosi carminibus aliqvot complexus, Historia Audbiörnonis, a se, ut puto, conficta & in Rythmos transmissa, mores avari, & dein ad Deum conversi, hominis delineavit.

Johannes Ormeri, Historiam Thorsteini Bæarmagn x. carminibus inclusit.

Johannes Petri Alftanesensis, carmine pertexuit Historiam Nicolai Ludionis.

Johannes Sigismundi antea laudatus, Historiam Cyri Regis metro reddidit.

Johannes Sigurdi, incola Vedramotensis, Rythmis expressit Historiam Elidis (Elis), qvem inter Principes Galliæ qvondam floruisse vulgatum est. Carmina insuper varia lepide fudit, & obiit post ann. 1708.

Johannes Sigurdi, judex provincialis Dalensis, mores corrupti seculi carmine *Tíma-Ríma*, perstrinxit,

xit, Havniæ 1772 edito, ſed mendoſe, variorum præterea carminum ingenioſus auctor.

Johannes Thorſteini Thorgeirsfiordenſis, paucis abhinc annis defunctus, Hiſtorias Rolandi, Thorſteini Vikingii, Alexandri & Ludovici, Oſcigi & conjuratorum, Mali, Pejoris, & Peſſimi, variis metris eleganter ſubjecit, Hiſtoriam deniqve Jaſonis ſeptuagenarius VIII carminibus incluſit.

Johannes Thorlacius, Faſciculum poëmatum a ſe in lingvam vernaculam maximam partem translatorum, inter qvæ eminent nonnulla *Tullini* opuſcula, novis typis Hrappseyenſibus ſubjecit 1774.

Kolbeinus Grimeri Dagverdaraënſis, Hiſtorias Gretteri Robuſti XX. & Svenonis Mukſonii XXIII. carminibus incluſit. Carmina in Mukſonii hiſtoriam abſolvit 29. Novemb. 1658. Carmen adhæc prolixum abſolvit, *Vídförull* dictum, Geographicum, qvod cum reliqvis ejus poëmatibus, Dyrdar - dictur, Stórmerkiarímur &c. extitiſſe certum eſt.

Magnus Asgrimi f. Ingvari hiſtoriam XII. carminibus complexus eſt.

Magnus Johannis, regionis Torſkafiordenſis Choronomus, illuſtri genere natus, fatis ceſſit 1596. Hiſtoriam Ponti, pulchro verborum delectu, carmineqve numeroſo gratiorem fecit. Tribuuntur porro illi in qvibusdam exemplaribus XII carmina, qvæ hiſtoriam Ingvari, VIII. qvæ Conradi Richardi Imperatoris filii, & nonnulla, qvæ Amici & Æmilii complectuntur hiſtorias.

Magnus Illugonis, Parochus Husavikensis, cœpit Historiam Hrolfi Kraki carminibus reddere, qvod opus filius ejus Thorvaldus ad finem perduxit.

Nicolaus Finni, Historiam Rafnkelli, Freysgoda dicti, Sigismundi Brestis filii & Gunnlaugi Ophioglotti in Rythmos convertit.

Olavus Arngrimi Vatnsdalensis, historiam Kormaki carmine reddidit.

Olavus Johannis, pastor Sandensis, historiam Invasionis Hispanorum in Islandiam aliqvot poëmatibus pertractavit.

Olavus Olavi, pastor ultimo ad templum cathedrale Skalholtinum (qvi diem obiit supremum anno hujus seculi 28) qvinqve carmina admodum prolixa, cum in Norvegia Pastoris, ut credo, munere fungeretur, composuit, vitam Olavi Regis Tryggvini, donec Regium ascenderet fastigium, complectentia.

Otto Thorkilli, e Toparchia Vadlensi oriundus, Stannarius deinde Havniensis, Historiam Bæringi Pulchri in ligatam orationem transmisit.

Ottarus Gudmundi, frater Johannis Raudseyensis, Historias Vilhelmi Siód, Thorsteini Bæarmagn & Thorsteini Vikingi f. metris reddidisse fertur.

Paulus Bernhardi Hreppensis, Historiam Ambalis in ligatam orationem transtulit.

Paulus Johannis Widalinus, varia & multa carmina reliqvit.

Petrus

Petrus Hiörleifi Hiſtoriam Herraudi & Boſæ carminibus reddidit.

Petrus Einari Ballaraënſis, generalis dicaſterii aſſeſſor, poëta & juris peritus ſui temporis non incelebris, Ponti Hiſtoriam, ubi *Magnus Johannis* deſiit, carminibus XVI. continuaſſe perhibetur, & Hrolfi Gautreci filii vitam in ligatam orationem vertiſſe.

Rögnvaldus, *Cæcus* dictus, Branam & Skogar-Chriſtum carminibus laudavit.

Sigmundus Helgonis Hiſtorias Thordi Manduci & Sigurdi Taciturni in Rythmos convertit.

S*igurdus Cæcus*, circa Reformationis tempora vixit, orientalis Islandiæ civis. Ectoris Rimur, carmen ab Episcopo *Joh. Areſonio* cæptum continuavit, carmina XXIV. in hiſtoriam Andri compoſuit, lepida, in qvantum incorrupta ſuperſunt, terſæqve dictionis: Sunt qvi ei tribuunt carmina VI. qvæ hiſtoriam Hromundi Greipi filii, VIII. qvæ Anis Bogſvegis, XII. qvæ Reinaldi & Roſæ, & nonnulla, qvæ alteram Hiſtoriæ *Olavi* Tryggvini partem, complectuntur. Nec difficulter, (verba ſunt Widalini in recenſu poëtarum) inducerer ad credendùm ejusdem auctoris eſſe duo illa carmina, qvibus Fabulæ de Philippo, Victore & Blavo traditæ ſunt, cum nativæ dictionis lepor ſvavesqve numeri aut ſimilem prorſus aut eundem genium ſpirare videantur.

Sigurdus Ketilli Paſtor Skeggiaſtadenſis (denatus ni fallor 1730.) Ormeri Storolfi filii hiſtoriam carmine pertexuit.

Sigurdus Gislavi, poëta præcedentis seculi miræ felicitatis & ingenii, qvod nullo eruditionis freno cohibitum erat, luxuriantis. Præter varia carmina, historiam Thordi Manduci, petente *Haqvino Thorkillio*, in Rythmos transferre orsus, libellos sive carmina VII. tantum absolvit.

Sigurdus Helgonis, Vogensis, ut credo, superstes, XIII. carminibus absolvit Historiam Sturlaugi Laboriosi.

Stephanus Olavi, Pastor Vallanesensis, innumera fere fudit Epigrammata & carmina tum sacra, tum profana & jocosa, omnia summi leporis & elegantiæ.

Sveno Sölvii, Borealis & occid. Islandiæ Nomophylax nonnulla carmina fudit, inter qvæ *Lovisu - Lilia*, s. Encomium D. Lovisæ Dan. Reginæ, cum Paraphrasi Danica splendide satis editum, facile eminet.

Thorbergus Thorsteini, Historiam conjuratorum (Bandamanna Saga) in ligatam orationem transmisit, variorum carminum præterea auctor, & hujus seculi poëtis melioribus accensendus.

Theodorus Jonæ, Historias Rolfonis Gautreki & Sörlonis Robusti numeris poëticis subjecit.

Theodorus Magni, Striúgensis, vixit circa 1570 & lepra tandem correptus obiit, inter optimos referendus Poëtas, Historias Rolandi, Sauli & Nicanoris, Valdemariqve in elegantissima carmina misit, auctor porro variorum Poëmatum, inter qvæ *Geiplur*, *Kappa visur* &c.

Theo-

Theodorus Johannis incola Adalvíkenſis, carmina dicitur fudiſſe in narrationem de Illhugo Tagldarbana.

Thorlacus Gudbrandi, Doctiſſimi Arngrimi nepos, *Widalinus*, Choronomus Iſafiordenſis, obiit 1707, Poëta felicisſimus, Fabulam de Floro & Blankenfrú adhuc adoleſcens metro donavit: Juvenis Odas complures amatorias ſcripſit numeroſisſimas, qvarum nonnullæ, qvod metra ſectatus fuerit difficillima, nimis obſcuræ ſunt. Hiſtoriam præterea Gislavi Surſonii carmine reddidit, & Ulfari Robuſti Hiſtoriæ partem ingenioſis admodum carminibus abſolvit, ſed cum operi ultimam manum non imponeret, cæptum opus ad finem perduxit laudatus Arnas Bödvari.

Thorſteinus Magni Hælenſis, ſuperioris ſeculi poëta melioribus accenſendus, hiſtorias Julinenſium & Sorlonis Robuſti in ligatam orationem transmiſit, variorum inſuper carminum auctor. Dicitur qvoqve carminibus XXIV. Befi Hiſtoriam & Hrolfi Krakæ Daniæ Regis permultis Rythmis incluſiſſe.

Thorleifus Torfæus, præter Bryniam, carmen 739. ſtrophis conſtans, Æſopi vitam carminibus X. Hringi & Skialdæ hiſtoriam carminibus VI. Sigurdi & Tryggonis XIV. metris ſubjeciſſe perhibetur.

Thorbiörnus Salomonis, dicitur carminibus XII. Hiſtoriam de Alexandro & Roſamunda; Carminibus VI. de Haqvino Norvego narrationem contexuiſſe, multorum inſuper poëmatum auctor.

Thorvaldus Magni Husavikensis, inter poëtas hujus seculi lepidissimos merito referendus, Historias Thordi Hredæ (manduci), Havardi Claudi, Remundi & Melusinæ, Kormaci, Alexandri & Ludovici, multaqve insuper jocosa sub numeros misit poëticos.

Thorvaldus Rögnvaldi Saudanesensis, (obiit 1680) Historias Partalopi, Gunnari Hlidarendensis, Besi Callidi & plurium forte carminibus inclusit, in qvibus nec leporem nec numeros desiderabis. Multa porro carmina fudisse certum est, qvorum nonnulla superstitionis vitio carere non dixerim: Magiæ suspectus sed non convictus, fratrem habuit Jonam, qvem primum Islandorum ob exercitia magica combustum inveni.

§. 6.

Colophonis loco addi merito possunt, qvibus ligata oratio latina in deliciis fuit, qviqve monumentis qvibusdam ad posteros transmissis, locum inter poëtas Latinos qvalemcunqve sibi vindicant, ut sunt:

Arngrimus Jonæ Widalinus, elegantioris literaturæ post Reformationem in patria sua coryphæus & hyperaspistes, cujus inter alia est conspicillum qvotidianum carmine Latino & Islandico, impr. Holis 1594. Epitaphia sibi & Conjugi scripta, &c.

Brynjulfus Svenonius, Episc. Skalh. cujus superest *Carmen Votivum de S. Cruce* prolixum, & VII sub variis metris *Odæ ad Beatam Virginem*, qvod Doctiss.

Doctiss. Viro *Paulo Biörnonis* Selardalensium misisse dicitur (a).

Egillus Sigfusi, Rector primum Scholæ Holanæ, deinde Curio Glaumbajensis, fasciculum carminum latinorum, sacri ut potissimum argumenti, reliqvit.

Eyulfus Johannis pastor Vallensis, scripsit varia carmina latina admodum lepida.

Gunnarus Pauli, Præpositus Dalensis, de qvo supra, varia carmina latina elaboravit, ex qvibus carmen *in Regem Daniæ Frid. V, in b. Ancherfenium* in Acad. Hafiensi nuper Professorem & Consf. Just., *in Finnum Johannæum* Episcop. Skalholt. bina carmina, *in mortem illustr. Gudridæ Gislonis filiæ*, *in Collectam nummariam Christianosandensem, necnon, in centenarium argenti* s. Hundrad Sylfurs veterum, & forte plura, edita vidimus.

Johannes Thorkilli, Rector Scholæ Skalholt. præter ipsius Chrysorin & Eclogarium, nonnullos hymnos Psalterii Passionalis ab Hallgrimo Petræo concinnati, numeris subjecit poëticis, & varia carmina miscellanea insuper fudit. V. Sibb. Idea Hist. Lit. Isl. inserta Dreyeri Monum. P. I. pag. 208.

Johannes Thorkilli Widalinus Episc. Skalh. in vertendis nonnullis hymnis passionalibus proxime commemoratis operam suam, ut & in somnio Skidonis vertendo, qvod ad medium circiter perduxit, posuit, variorum insuper Epitaphiorum & carminum jocularium auctor. Carmen eximium Scholæ Skalholtinæ Collega fecit, inscriptum: *Calliopes Respublica*, nulli nostratium (ut laudatus

datus Paulus Widalinus judicat) operi ſecundum, ſive inventionem ſpectes, ſive metri elegantiam, ſive ſvavitatem & dictionem undiqve magnificam.

Magnus Olavi, Lexici Auctor, in vernacula & latina lingva feliciſſimus poeta, variorum carminum latinorum auctor, qvi muſas qvoqve latinas Islandorum numeris adſvefecit in literis ad *Olavum Einari* Parochum Kyrkiubajenſem, qvi idem etiam tentavit, ut liqvet ex eorum epiſtolarum commercio, qvod adhuc ſupereſt.

Paulus Bernhardi Widalinus, optimam de ſe ſpem excitans Havniæ & Lipſiæ annos non paucos ſtudiorum humaniorum gratia commoratus, in ipſo juventutis flore ante aliqvot annos extinctus; præter Orationem die Natali Optimi Regis Friderici V. Lipſiæ 1757 habitam, laudavit laudatiſſimum patriæ patrem ſub idem anni tempus præcedente anno, *Ode ad Melpomenem*, pro collatis in ſe regiis muneribus; qvod & ſingulari carmine fecit 1754. Exſtat qvoqve ejus Epiſtola ad Heroa per-illuſtrem O. M. Comitem Ranzavium, nuptias celebrantem (ed. Lipſ. 1756) & Ode ad Petrum Nicolai Novigardium L. B. a Gartenberg Regis Pol. Conſiliarium Lipſ. 1755 & plures aliæ ad Horatii limam exactæ & Lipſiæ ſigillatim editæ.

Paulus Halli, inſtructiſſimæ Bibliothecæ Georg. Sefeldii Regii Senatoris, & judicis Provincialis Selandiæ, qvæ a Svecis 1659. asportata, Præfectus, poſtea paſtor, Harreſtadenſis in Diſtrictu Ringſtadenſi, vir egregie doctus, auctor Verſionis latinæ metricæ carminis elegantiſſimi, qvod *Lilium* dici-

dicitur, & *Eysteino* adfcribitur, tam in ipfa Hift. Ecclefiaftica Celeb. *Johannæi*, qvam feparatim, una cum dicto carmine, editæ. Obiit *Paulus* 1663 tefte Refenio in Præf. ad Volufpá.

Petrus Thorfteinis, territorii Mulenfis toparcha, qvi oda latina in obitum præfidis Islandiæ Dni Magni Gislonis Havn. 1771 in 8vo edita locum inter Poëtas Latinæ Islandiæ meruit.

Sigurdus Stephani, Rector Scholæ Skalholt. qvi Libros Samuelis in compendium redegit.

Theodorus Widalinus, Profeffione Medicus, primum hypodidascalus, dein Rector Scholæ Skalholt. in hymnis paffionalibus H. Petræi vertendis non infelicem navavit operam. Epitaphia porro nonnulla (qvorum unum in memoriam Joh. Thorlacii, Diftrictus Mulenfis Præfecti Havniæ Typis Phænixbergianis lucem adfpexit publicam), & carmina in textus Dominicales & alia non pauca latine pepigit.

Thorfteinus Biörnonis, Parochus Utfkalenfis, ubi Sacerdotio multis annis præfuit, donec officio fubmotus in villam Setberg habitatum migraret. Hic, tefte P. *Widalino*, in fuo *recenfu poëtarum*, ut faftidia vitæ leniret, filiæ, captus oculis, dictavit latinum carmen, qvod infcripfit: *Noctes Setbergenfes*, de Geniis Alfisqve, fuperftitionem non mediocrem redolens. Affervatur hoc carmen in Bibliotheca Magnæana, qvod vena poetica non deftitutum, fracto calamitatibus homini veniam, ubi hallucinatus fuerit, facile depofcit; Exftat ibidem fine dubio ejusdem auctoris carmen de principiis

cipiis rerum, earumqve elementis, & de rebus qvibusdam inde elementatis; aliud qvoqve de hominibus lynceis; tertium qvod inscribitur: Memoria judicis avari & iniqvi, satyricum.

Sculo Theodori Thorlacius tum Scholæ Coldingensis, nunc Havniensis Rector, Poëmate, cui titulus: *Eusebie triumphans* Doctoribus Theologiæ occasione nuptiarum Principis hæreditarii Friderici & Fridericæ Sophiæ creatis assurexit, tam seorsim in 4to, qvam inter Acta Academica in prædictas nuptias in fol. edito, & numismate in prædictas nuptias excuso clementissime a Principe remunerato.

Exstat prætcrea infinita propemodum seges, tum carminum vel historica tractantium, nostratibus *Rímur* dictorum (qvæ plerumqve anepigrapha sunt, & reperiuntur in instructissima Bibliotheca Magnæana, & passim in patria), vel moralia, satyrica, jocosa, complectentium; tum Epitaphiorum, Epithalamiorum, Eucharisticorum, lingva ut plurimum vernacula vel latina conscriptorum, qvæ singula recensere, vix operæ pretium duco. Verbo tantum monendum; Islandos nil intactum reliqvisse poëtas, earum nempe scientiarum, qvæ potissimum coluntur, qvod eo facilius & felicius fieri posse existimo, qvod lingva ligatæ orationi qvam solutæ concinnandæ aptior videatur, & non paucis, etiam doctrinæ solidioris tantum non expertibus, promptitudo singularis insigni lepori conjuncta propria magis & familiaris adsit, adeo ut carmina difficillimis metris alligata, stantes pede (ut ait poëta) in uno, stupendo artificio fundant: habet enim hoc sibi velut proprium ac peculiare lingva Islandica; ut nasci velit poëtas, (uti & habemus exempla puerorum ver-

ſus & carmina non parvi leporis fundentium, qvi ubi adoleverunt præſtantiſſimi poëtæ evaſerunt, qvorum e numero ſunt *Hallgrimus Petræus*, *Steno Johannis*, poſtea Epiſcopus, *Paulus Johannis Widalinus* poſtmodum Islandiæ meridionalis & orientalis Nomophylax, qvi in hoc qvalicunqve poëtarum ſyllabo ſedem præcipuam promeruit, cæteri) non autem cudi; unde viri etiam ingenioſi & elegantia carminis latini, ut Joh. Widalinus & Svenſonius Epiſcopi Skalholtini, Thorlacusqve Skulonis Episcopus Holenſis, admodum commendabiles, patriæ qvoqve lingvæ gnari tolerabile carmen, ubi nativa venæ poeticæ felicitas abfuerit, vix & nevix qvidem ſcribere qveant. Taceo qvod inſita qvædam virtus & energeia non tantum animos aliorum commovendi, ſed facta interdum & fata hominum moderandi noſtratium poëſi præ qvorundam forte exterorum ineſſe vulgo credatur, ut adeo nonnulli, poëſeos laude clarentes magiæ vix ſuſpicionem effugerint. Plura de Poëtis Islandis legi poſſunt apud cl. Sibbernum in Idea Hiſt. Lit. Isl. Sect. III. §. 19 conf. Borrich de poëtis & furore poëtico.

(a) Laudatum hunc Præſulem Svenſonium crypto-Papiſtam fuiſſe dubitanter aſſerit clariſſ. Sibb. Id. Hiſt. Lit. Isl. Sect. III §. 10 qvod carmina de Cruce, & qvæ ad B. Virginem ſub variis metrorum generibus pepigit, non viderit. In hujus profecto Epiſcopi actis publicis & Epiſtolis ad amicos ſcriptis, in qvantum mihi videre contigit, ne volam qvidem aut veſtigium fermenti Papiſtici deprehendere potui. In adductis tamen carminibus, præſertim penultimo & ultimo ad B. Virginem (qvæ

(qvæ carmina auctoris manu exarata & hinc inde correcta possideo) Mariolatriæ Pontificiæ justo propius accedere, pium cætera & gravem virum primo adspectu aliqvis sibi forte persvadebit, sic enim carmine penultimo canit:

" Excellens superum gloria civium
" Angustis fer opem rebus & asperis
" Cui non defuit unqvam
" Præsens copia gratiæ.
" Qvas debent inopes reddere gratias
" Pro summis homines muneribus Deo,
" Clemens atqve benigna
" Nostro nomine solvito!
" Sic longum faveas gentibus indigis
" Et nos multiplici crimine sordidos
" Commendare memento
" Mater sedula filio. "

Et sic carmine ultimo eam alloqvitur:

" Perge semper excubare Margarita cælitum Dul-
" ce germen obsecrando mortis ut voragine Lar-
" giatur enatare naufragis clientibus. " Credo summum hunc virum (qvod citra invidiam dictum velim) humani hic aliqvid passum, sive serio hæc egerit, sive amicum de vexatis aut controversis fidei articulis certamen provocare voluerit. Qvicqvid sit, hunc pia gravitate conspicuum Virum & publicum Evangelicæ Veritatis præconem id cum viris etiam doctissimis habuisse commune mihi persvadeo, qvod qvamvis opinioni fuerit cuidam addictus, nostris sacris minus convenienti, eam nec palam professum fuisse, multo

multo minus aliis obtrusisse. Imo christiana charitas me jubet sperare eum nihil Fidei Evangelicæ adversum credidisse, nisi qvod proniorem forte dixeris ad δȣλειαν B. Virgini, qvasi pro vivis intercedenti, præstandam, id qvod parum abludere videtur ab eorum sententia, qvi pie defunctos pro in terra viventium spirituali & æterna felicitate Deum exorantes statuunt, qvorum tamen, ut orthodoxorum, libri non sine applausu leguntur.

SECTIO III.

De Studio Islandorum Hiſtorico.

§. 1.

Si qvid elegantioris literaturæ facit ad bene circumſpeĉteque vivendum, certe ſtudium eo tendit hiſtoricum; Oſtendunt enim hiſtoriarum monumenta tum dubios rerum caſus temporumqve viciſſitudines, tum documenta providentiæ divinæ, & qvomodo vitæ noſtræ momenta ad alienas componere virtutes qveamus, unde tot vitæ empiricæ ſubſidia. Viderunt hoc non e trivio, non de plebe tantum homines, ſed & maximi commatis viri, qvi ætate in Reip. adminiſtratione detrita, generis & meritorum ſplendore valde conſpicui, ſtudio hiſtorico mentem manumqve applicarunt. Hinc inſignis ob ſtudium hiſtoricum egregie cultum gentis noſtræ laus, condi inſtar promi, omnium fere nationum hiſtorias conſervantis, exſcribentis, concinnantis (a); vix enim reperies tot ſcriptores hiſtoricos in qva regione, qvæ tanta hominum paucitate laborat, ac Islandia, qvæ qvidem præcipuos habuit, eo tempore, cum, regnante alibi literarum faſtidio, ne dicam contemptu, turbulentiſſimus, ob diſſidia inteſtina fuit Reip. ſtatus: pacata vero regione, & regibus Norvegiæ ſubjeĉta avitus literarum ardor & animus ſtudio aliqvantisper hiſtorico deditiſſimus per aliqvot deinceps Secula videtur, ſi non prorſus obtorpuiſſe, certe fumos & fabulas ſæpius venum expoſuiſſe. Noſtratium

igitur

igitur optimæ referri possunt historiæ ad Secc. xii. xiii. & xiv. dimidium. Viliores autem sunt, si unum alterumve scriptorem excipias, monetæ qvæ ab eo tempore, inprimis a sec. xv. initio, cum gravissima pestis maximam incolarum partem depopulata, bonas artes & literas antea florentes tantum non exstirpavit, ad tempora usqve Reformationis scribebantur, utpote ab indoctis plerumqve monachis exaratæ vel compilatæ, qvorum è re fuit, aut de Sancto aliqvo historiam superstitiosis núgis scatentem, ad qvam vetula delira lacrymaretur, conscribere, vel herois alicujus peregrini gesta, qvæ stultæ plebi delinerent aures, literis mandare. Placet vero congeriem & farraginem istam scriptorum historicorum dividere in *Exotica*, sive qvæ extra Scandinaviam, & *Inqvilina*, qvæ nimirum intra eandem potissimum locum habent, Sanctorum legendis, sive Historiis, seorsim positis; habitaqve temporis ratione primum commemorare, qvæ ante Reformationem doctrinæ christianæ, & deinde qvæ post eandem concinnata & in lingvam Islandicam translata videntur.

(a) Elogium Saxonis Grammatici in Præfat. ad suam Historiam Danicam, Theodorici Monachi in prologo historiæ Norvegicæ, & aliorum complurium, qvo Islandos ob sua merita in historiam cohonestandos æqvum judicarunt, cum passim occurrant, hic inserere nolo. Historicorum autem Islandorum, fidem & auctoritatem, præter *Torfæum* & *Bartholinum* speciali Tractatu de peregrinationibus Islandorum Lipsiæ 1755 edito, vindicavit Vir Perillustris & Doctiss. *Johannes Erici.*

MEMBRUM PRIUS.

exhibet Syllabum Hiſtoriarum omni, vel maxima, ex parte ante dimidium ſeculi decimi ſexti confectarum.

§. 2.

Hiſtoriæ veterum, qvæ nationes exteras ſpectant, partim veræ habentur, partim, & qvidem plurimæ, fabulis involutæ, partim confictæ prorſus, temporis, ut videtur, fallendi gratia, id qvod recte pronunciat celeberr. *Torfæus Serie Reg. & Dyn. Daniæ* cap. 1. ſeqv. qvo lectorem ablegamus.

Hiſtorias, qvæ ſitas extra Scandinaviam nationes, (omiſſis brevioribus Hiſtoriis, qvas vel *Johannes Haltori* Episcopus Skalholtinus (a) vel alii collegere) potisſimum tangunt, ſeqventes, juxta Alphabeti ordinem nominare ſufficiat (b):

**Adonii*, qvam carminibus tantum incluſam vidi.

**Æſopi & Xanthi.*

**Agnaris* & *Sörkveri.*

**Alsflecki*, Richardi Angliæ Regis filii.

Albani, Vigvaldi Ducis cujusdam Moscovitici filii.

**Alexandri* & *Ludovici.*

Alexii Comneni, vulgo Kyrialax Saga, ɔ: Hiſtoria κυρίȣ Ἀλέξιȣ, ubi citantur Imago Mundi, & Chronicon Mercionis.

**Ambalis*, Salmanis Regis filii.

Am-

Ambrosii & *Rosamundæ*.

Amici & *Æmilii*.

Alexandri Magni, juxta Gualterum (c).

**Apollonii* Regis Tyrii.

Arturi Angliæ Regis & ejus athletarum sc. *Iventii*, *Parcivalis*, *Valveri*, *Ereccii* & *Samsonis Pulchri* Arturi filii & Philippiæ Hungariæ Principis, qvibus additur *Mötuls-Saga*, sive historia togæ cujusdam fascinatæ. Ad finem harum historiarum profitetur interpres se ex lingva Vallonica hæc transtulisse, jussu Haqvini Norvegiæ Regis Haqvini filii (d).

Artemundi Robusti.

**Asmundi Piratæ* (Víking) Hibernensis.

Asmundi Sebbæ Alumni (Sebba fóstra), (*)

Balduini, Hierosolymorum Regis.

**Bellerophontis*,

Bertrami Comitis Cosiliensis, & *Rosaliæ*.

Biewi, Ginonis in Anglia Comitis Hamptonensis filii.

Barlaami.

**Bæringi Pulchri*. (fagra)

**Blomsturvallensium*.

**Brittonum* (Breta-Sogur) (e)

**Caroli Magni* Pipini f. Huc pertinent Historiæ de *Otuele*, *Rolando*, *Oddgeiro*, *S. Holgero Dano*, *Aglando* Rege, juxta relationem Turpini Episcopi, *Wilhelmi* &c. (Karla Magnusar-Saga med sinum Þáttum) (f).

(*) Referri solet ad Hist. Hringi & Triggonis.

Callinii, Galli cujusdam Magnatis.

Clari Tiburtii Saxoniæ Imperatoris filii (g).

Conradi, Richardi Saxoniæ Imperatoris filii, patris vero Emanuelis Regis.

Dionyſii Superbi, (Dínuſar Dramblàta).

Damuſtæ, qvæ continet ſimultates inter Catalaſtum Conſtantinopoleos Regem & Johannem Smolandiæ principem.

Duggali cujusdam ex urbe Hiberniæ Kaſeenſi (forte Kaſileenſi) nobis *Duggals Leidſla*, ex latino translata, juſſu Haqvini Norvegiæ Regis.

Elidis, Julii Ducis filii. (Sagan af Elis)

Erneſti Ducis & *Vetzelii*.

Feracuti & *Balanti*.

Fauſti & *Ermenæ*.

Feri.

Fertrami & *Platonis*, filiorum Arthuri Regis.

Flori & filiorum ejus.

Flori & *Blance-Fluræ* Hiſpanæ.

Floventis Gallorum Regis (indicit in tempora Silveſtris Papæ).

Fortunati.

Gabonis & *Vigoles*, duorum in Anglia pugilum tempore Arthuri Regis.

Galmeyi, Eqvitis Angli.

Gibbonis, Wilhelmi Galliæ Regis filii.

Gibeonis & *Eſkoparti*.

Grelentis, Angli.

Gey-

Geyrardi, Comitis, qvi temporum Caroli Magni suppar erat.
Grimaldi.
Grishildæ patientis. (af Gríshilldi Þolinmodu)
Gvimari, eqvitio Angli.
Haraldi mulierosi.
Hectoris Junioris & ejus Athletarum.
Helenæ Pulchræ & filiorum ejus.
Helgonis Haraldi f. & Ulfi Mali (pertinet ad Hist. Orkneyensium).
Herpeni Ducis & *Leonis* filii ejus.
Herburti, cujus historiam 4 carminibus comprehensam vidi.
Jallmanni & Hermanni, Gallorum.
Johannis Limatoris, (Þialar-Jóns) Svipdagi Castil. Regis filii.
Johannis Ludionis (Jóns Leikara); est appendix Historiæ Vilkini.
Johannis Somniantis, (Þáttur af Drauma Joni).
Jarmerici.
Jatmundi Regis & *Ermengæ*.
Jonathæ, Gotofredi Regis filii.
Kauri Hringonis f. (quam in carmina tantum versam vidi).
Landresii, (Landresar Saga)
Lausi sive Ludovici Henrici Angliæ Regis filii.
Mabelis Robustæ (af Mabel sterku)
Magi Callidi (Bragda-Mausar Saga)

***Merlini Vaticininm*, qvod ex Anglico transferri justit Haqvinus Norv. Rex. (h)

Marsilii & Rosamundæ.

**Mausi & Fertrami.*

**Mirmanti* Regis Siciliæ, Hermanni Sax. Regis filii.

**Nitidæ*, Richardi Galliæ Regis filiæ (Nitida Frægu).

**Nicolai Ludionis*, Fausti Hungariæ Regis filii.

Octaviani Cæsaris & filiorum ejus Leonis & Flori, ubi agitur de præliis eorum cum Dagoberto & Normannis.

Peri (af Meistara Perus).

**Persii*, Achrisii Regis filii.

**Partalopæ* Galli & *Marmoriæ*, Regis Constantinop. filiæ.

**Petri & Magellonæ*, Gallice primum scripta.

**Philppi Pulchri.*

**Ponti*, *Cæsaris* in Italia & filii ejus Diocletiani; subjungitur plerumqve narratio de VII Sapientibus, non Græcis illis, sed Italis.

**Polis - Tutoris*, Henrici, Poloniæ Regis filii.

**Ragisis*, cujus historia carminibus aliqvot comprehensa citatur in catalogo Mss. in 8. qvæ exstabant in Bibliotheca fratrum Salanorum.

**Remundi*, Richardi Saxoniæ Regis filii.

**Reinaldi & Rosæ.*

Romanorum, (Rómveria Sögur) ex Lucani Pharsal.

Samsonis Nigri.

**Sauli* & *Nicanoris*, Ducis Barrensis.

Sigurdi

Sigurdi & *Tryggonis*.

**Sigurdi Taciturni* (þögla)

*S*igurdi*, *Pedis* dicti, & Asmundi Hunnorum Regis.

Sigurdi, a Ludis Eqvestribus, *Türnara*, dicti.

Sigurgardi & *Valbrandi perfidi*.

**Sigurgardi Frækna*, sive Strenui.

**Svenonis Monachi* cujusdam filii (Sveins Muksonar)

**Theodili Eqvitis* (Þiódels-Þáttur

Tronæ, vulgo, (Trönu-Þáttur).

Tristrami & *Isoddæ* per Robertum Monachum in lingvam Islandicam translata jussu Haqvini Norv. Regis.

**Trojanorum*, continens descriptionem obsidionis Trojæ, & illustria eorum facta, qvi bello Trojano interfuere; qvo *Hectoris* etiam *Majoris* historia pertinet, ex Gualtero desumta, prout ex cap. 1. & ult. Codicis Biblioth. Magnæanæ, Universitati Havniensi legatæ, patet.

**Tyri* Regis & *Pilati*, per Brandum Johannis Episc. Hol. versa.

Valentini & *Ursini*.

**Valdemari*, Philippi Sax. Regis filii.

**Victoris* Regis, Wilhelmi Regis Galliæ filii, & Sodalis ejus *Blaevi* (vulgo: af Victor og Blaus).

Vilhelmi Bastardi Nothi al. Conqvestoris, cui subjungi solet Narratio de gestis filii ejus *Rodberti* in expeditione in terram Sanctam suscepta. (Rodberts Þáttur)

**Vilhelmi Siód* (Thesauri) dicti, Richardi Angliæ Regis filii.

Vilkina & *Niflunga Saga*, ex qvibus hæc illius continuatio eſt, in lingvam ſeptentrionalem primum translata juſſu Haqvini Regis poſt ann. 1257. (i)

Vilkini, Eqvitis Galli, & filii ejus Johannis.

Vilmundi Cognomento *Vidutan*, & *Hiarandi*, Viſevaldi Regis & Principis cujusdam Ungaræ filii.

**Vilbaldi*.

Virgilii Magi.

**Ulfari* & *Önundi Pulchri*.

(a) Exſtat in Legato Magnæano Codex membranaceus in forma 4. qvi continet varias hiſtorias exoticas, qvas a *Johanne Halltori* Episc. Skalh. dictatas eſſe teſtatur. Johannes iſte faſces Epiſcopales geſſit ab anno 1322 ad ann. 1339, cujus porro exſtant conſtitutiones de ſponſalibus & matrimoniis rite contrahendis, & Eleemoſynis ex venationibus, qvæ feſtis diebus peraguntur, erogandis.

(b) Omnes propemodum hiſtoriæ, tractatus & annales, qvæ hujus membri §. 2. 3. 4. 5. continentur, exſtiterunt in Biblioth. Univerſit. Havnienſis, & paſſim pleraqve in patria: Hiſtoriæ vero, qvibus aſteriſcus præfigitur, in carmina, Islandis *Rímur*, ſunt translatæ, qvorum maxima qvoqve pars in pluteis Magnæanis eſt obvia. Si qvid peccatum eſt a me in Nominibus propriis, imputandum eſt exemplaribus, qvæ ad manum habui.

(c) Hic Gualterus eſt Philippus Gualterus Inſulenſis, qvi circa annum 1171 teſte Fabricio Biblioth.

oth. Lat. T. I. p. 722. vel circa 1250 ut Vossius putat, claruit Episcopus Magalonensis, natione Flander (distingvendus a Philippo Gualterio ord. Min. qvi vixit circa 1344. v. Villoti Athenas ord. Min. & Olearii abac. Patrolog.) Gesta vero Alexandri M. Insulensis noster in Alexandreide Libris x. carmine heroico celebravit, in Scholis tam freqventibus, ut præ illis veterum poëtarum lectio negligeretur (v. Hellervordi Biblioth. cur. p. 97.) Hoc autem opus Gualteri in lingvam Norvegicam transtulit jussu Magni, Haqvini Grandævi Norvegiæ Regis filii (sic enim habet meum Exemplar) *Brandus Johannis*, Vir suo seculo doctissimus, qvi annis 1237 & 1238. diœcesi Skalholtinæ præfuit, & Abbas Tyckvabæjensis constitutus 1247 mox 1250 iterum præficitur Diœcesi Skalholtinæ, qvam qvadriennio regebat, tempore nimirum qvo Sigurdus Episcopus absens erat; sed 4. Non. Martias. 1263. mitra Episcopali Holana ab Enaro Archiepiscopo Nidrosiensi donatus, obiit seqvente anno, circa festum omnium sanctorum. Hanc Alexandreidos Gualterianæ Versionem luci qvondam parasse exponendam Celeberr. *A. Magnæum*, testatur Fabricius Biblioth. Lat. T. III. pag. 325.

(d) Utrum hæ historiæ adscribi debeant Gildæ Cambrio an Galfrido Monémutensi, aliisve, investigare non vacat; videatur interim Vossius de Hist. Lat. Libr. II. cap. 36 & 52.

(e) Brittonum historias a *Gunnlaugo Leifi filio* Monacho Tingeyrensi versas esse docet *Biörno Johannis* f. Skardzaaensis (in præfam. ad suos Annales)

les) ex opere Galfredi Monémutensis Archidiaconi (qvi postea Asaphensis Episcopus exstitit), item Alexandri Episcopi Londinensis, nec non Walteri Archidiaconi Oxoniensis, qvos etiam Auctores ipsa historia non obscure indigitat.

(f) Num hæc eadem sit, ac qvam Justum Reuberum edidisse commemorat Struvius in Dissert. de doctis impostoribus, non æqve liqvet.

(g) Hanc historiam e Francia secum attulisse *Johannem Halltori* f. Episc. Skalh. rythmis conscriptam, testatur in fronte interpres.

(h) Versio ligata perantiqva est, ac tribuitur *Gunnlaugo Monacho* Thingeyrensi a *Brynjulfo Svenonio* Episc. Skalh. in Observationibus ad Ol. Wormii Literaturam Danicam.

(i) Conf. Perillustr. Philal. Vol. I. p. 187 utramqve cum versione Svecica & Latina Peringskioldius Holm. in f. 1715 junctim edidit.

§. 3.

Historiæ Sanctorum, qvarum plerasqve oculis lustravi, sunt, nonnullis, qvæ minoris notæ videntur, omissis, seqventes:

Andreæ Apostoli.

Agnethæ ex opere Ambrosii.

Agathæ.

Augustini.

Ansgarii Confessoris.

Anto-

Antonii, ex Athanaſio

Alexis, Confeſſoris, incidit in tempora Honorii & Arcadii Imperatorum.

Aglaidis.

Brigittæ, qvam citatam tantum vidi in Regeſto Sigurdi p. 2.

Barbaræ.

Benedicti.

Blaſii, Epiſcopi Sebaſtiani.

Bartholomæi & *Matthæi* Evangeliſtæ ſimul.

Bartholomæi ſeorſim, a priore differens, & V. Capp. conſtans.

Chriſti Salvatoris noſtri, de ejus educatione & vita.

Crucis Chriſti, de ejus inventione & flagellatione Berythi, item de paſſione Imaginis Chriſti a Judæis Berythi in Phænicia impie tractatæ.

Copri.

Ceciliæ. Carmen qvoqve ſupereſt in ejus laudem.

Catharinæ.

Chriſtophori, qvæ etiam Hiſtoria in carmen transfuſa.

Coſmi & *Damiani.*

Dormientium ſeptem.

Dunſtani, Archiepiſcopi Cantuarienſis. (a)

Edvardi S. Angliæ Regis. (b)

Evgeniæ.

Evphemiæ.

Evſtaches.

Fabiani & Sebaſtiani.

Gre-

Gregorii Magni, Pontif. R.

Justini Martyris.

Julianæ.

Johannis Confessoris & Episcopi Beverlaci.

Johannis & *Jacobi* Apostolorum gemina, alterius auctor est Miletus, qvam scripsit ad Episcopum Leodiensem; altera vasta admodum & in aliqvot libros divisa.

Johannis Baptistæ, tum ex Evangelistis, tum Homiliis Gregorii Magni, Augustini, Ambrosii & Hieronymi collecta per *Grimerum* qvendam pastorem, & dedicata Runulfo Abbati Sigismundi filio Thyckvabajensi, (qvi sec. ann. obiit 1306 al. 1307.) cujus instinctu auctor confitetur se, in Epistola ad eum dedicatoria, hoc operis in se suscepisse.

Laurentii Martyris.

Luciæ.

Lamberti.

Leodegarii, (nostratibus Liodgeirs-Saga)

Mariæ, Beatæ illius Virginis, & Salvatoris nostri Matris, vastum volumen, & miraculis plenum, auctumqve sine dubio, si non conscriptum ab aliqvo nostratium, nam in fine invenies revelationes qvasdam & miracula, qvæ in Islandia, ope Divæ Virginis exteris probabiliter ignota, evenisse perhibentur.

Marthæ & sororis ejus *Mariæ*.

Matthiæ Apostoli & ejus miraculorum.

Michaëlis Archangeli & ejus miraculorum; exstat qvoqve carmen Dn. *Halleri* encomiasticon, *Michaëls Flockur* dictum. *Mal-*

Malchi, auctore Hieronymo.

Materni, Episcopi Trevirensis, ab Apostolo Petro ordinati, & per baculum ejus a morte excitati.

Margarethæ, Theodosii filiæ, duplex: altera agnoscit auctorem Theophilum qvendam; altera ex opere Theodymi desumta est.

Martini Episcopi Turonensis.

Magni Orcadensium Comitis & Martyris.

Nicolai, Archiepiscopi Mirensis in Lysia, cum Præfatione *Bergeri Sokkonis*, qvi multas praeterea Sanctorum vitas in vernaculam transtulit. (c) Supersunt qvoqve Nicolaus Dictur & Nicolaus-Drápa Dn. *Halleri*, duo nempe carmina in laudem S. Nicolai.

Pauli Apostoli.

Petri Apostoli.

Philippi Apostoli.

Pantaleonis Martyris.

Remigii Archiepiscopi Remensis.

Stephani Protomartyris.

Sylvestris.

Thomæ Apostoli.

Teklæ.

Thomæ, *Archiepiscopi Cantuariensis.* (d)

Vincentii.

Vilhelmi Confessoris,

Ursulæ (e)

(a) Concinnata est ab Arna (Monacho Tingeyrensi 1316.), Laurentii (Episcopi, ni fallor, Holani) filio

filio, qvi latinæ lingvæ dicitur fuisse apprime gnarus & egregius versificator, dedicata vero Laurentio Archiepiscopo.

(b) Videtur hæc historia ab Islando qvodam compilata, cum conjecturam *Gisseri Halli* f. Nomophylacis alleget: certe nec ab Anglis, nec Danis in totum confecta.

(c) Discipulus fuit Bergerus Laurentii Episcopi Holensis, Prior deinde Cænobii Thveraaënsis, anno 1322. & ibidem Abbas 1325. al. 1326 Abbatiam vero resignavit 1334.

(d) Auctor *Tractatus* vernacule conscripti, *de persecutionibus in Anglia tempore Thomæ & Anshelmi*, Archiepiscoporum, dicit duos Presbyteros Bergum Gunnsteini & Jonam Halleri, (qvædam Exemplaria habent *Jón Holt*) Historiam Thomæ scripsisse.

(e) Exstat insuper Legendarum in lingvam Islandicam translatarum non contemnenda farrago, ut: Passio XL. militum e Cappadocia sub Licinio, de S. Canuto Duce & Rege, de Sanctis in Selio, de S. Erico Rege & Martyre, de S. Theodoro, S. Dorothea, S. Mauritio &c.

§. 4.

Pergo jam ad Historias Scandinaviæ, in Classes IV. & juxta Alphabeti ordinem utcunqve dispositas, ubi occurrunt:

I. *Historiæ Daniam Spectantes.*

Amlethi five Amloda Hardvendils filii e Saxone.

Gormonis Grandævi & *Thorkilli Fostra*, al. Adalfara.

Hraldi Hringicidæ (Hríngs-bana).

Högna og *Hedins-þáttr* five narratio de Hognio & Hedine tam Upfaliæ in folio, qvam Skalholti in 4to in Olai Tryggvini vita 1689, edita.

Hrolfi Krakii & *ejus Satellitum*, in *Biörneri* Kämpedater Stockh. 1737 in fol. Isl. Sv. & Lat. edita.

Hroari Stulti, qvam civitate Latina donavit Arngrimus Jonæ.

Hromundi Greipi filii a Biörnero lib. cit. edita.

Halfdani Branæ Alumni, Hringi Daniæ Regis filii, etiam a *Biörnero* lib. cit. edita.

Hialmtheri & *Aulferi*, ed. a Peringfk. Sth. 1720. (*)

Holgeiri Dani.

Julinenfium (Jomsvíkinga Saga) qvæ Latine verfa eft per *Arngrimum J. Widalinum.*

Illhugi Gridæ Alumni, in lingvam Svecicam verfa a *Gudmundo Olavi.* & Upfal. 1695. edita.

Ingvari Aulveri fil.

Knutidarum, qvæ aliqvot abhinc annis Havniæ typis fubjecta, ultimam manum exfpectat. Latinam ejus verfionem adornavit *A. Magnæus*, Profeff. Hift. (a)

Ragnari Lodbrok & filiorum ejus, cui adjungas, fi placet, *Hiftoriam Volfungorum*, utramqve a *Biörnero* in lib. cit. editam. *Skiol-*

(*) *Indridus Kopur* dictus, munere Sacerdos, qvi vixit circa 1360. dicitur hanc Hiftoriam metris fubjeciffe.

Skioldungorum, antiqvior, ut videtur, chronico Norvegico, cum a *Sturlæo* citetur. Antiqvam illam & genuinam Skioldungorum Hiſtoriam periiſſe credit Celeberr. *A. Magnæus*: interim fragmentum, qvod Skioldungorum Hiſtoriæ titulum ſe fert, fabuloſum eſt, & arguit auctorem nimis credulum, adeoqve alium ſupponit, qvam *Aram Multiſcium* aut *Sturlæum*, veritatis amantes & limati judicii Scriptores. Agmen claudant.

Fragmentum Hiſtoricum, a Celeb. *Langebeckio* inter Script. Rerum Dan. Tom. II. N. 58. p. 266-286 editum, qvod illuſtr. editor ad reliqvias prædictæ Skioldungorum hiſtoriæ pertinere ſuſpicatur, nec non *alia ſimilis argumenti fragmenta* N. 39. 50 & 62. ibidem in lucem producta.

II. Sveciam & Gothiam.

Egilli Einhendta dicti, & *Asmundi Gnodenſis*, edita per P. Salanum Upſ. 1693.

**Grimi & Hialmaris*, Gothlandorum.

**Halſdani Barkaris* fil.

**Herraudi & Boſi*, edita a Verelio, Upſ. 1666. Isl. & Sv.

Heidreki, ab hiſtoria Hervoræ, qvæ ſeqvitur, diverſa vide *Suhm* Crit. Hiſt. 1 B. p. 422 - 36.

Hrolfi Gautrecii, edita a Verelio 1664. Isl. & Sv.

Ingvari Vidförla (: late peregrinantis) & filii ejus Grimi (b) ed. Holmiæ 1762. Isl. & Sv.

Olavi Strenui. (Frækna)

**Ormari*,

**Ormari*, qvam carminibus aliqvot antiqvis tantum expressam vidi.

Styrbiörnonis Svecorum Athletæ.

His adjungi possunt:

Pugna Bravallensis, inter Haraldum Hildetann & Sigurdum Ring, sive *Fragmentum Historiarum de Regibus qvibusdam antiqvis Daniæ & Sveciæ*, ed. a Joh. Fr. Peringskiold Holmiæ 1719. Isl. & S.

III. *Norvegiam.*

α) in genere.

Origines Norvegiæ, e Codice Flateyensi, cum Olai Tryggvini vita Skalholti 1689, ex alio vero Codice in *Biörnone* Kämpe-dater Holmiæ 1737 editæ.

Vitæ Regum Norvegorum delineatæ ab *Ara Thorgilsi* filio, qvæ jam in tantum interciderunt, qvantum ex illis non mutuatus est *Sturlæus* in suo chronico, & alii vetustissimi Scriptores, a qvibus citatur (c)

Chronicon Norvegiæ per *Snorronem Sturlæum* (d) qvo pertinent variæ Regum Norvegorum vitæ, utpote *Halfdani Nigri*, (qve latine versa a *Thorarino Erici*, prodiit Havniæ 1658) & cæterorum usqve ad Sverrerem (v. Sibb. Biblioth. Hist. Cap. V. p. 126). Prodiit hoc Chronicon sub Tit. *Heims-Kringla*, Latine, Svecice & Islandice in fol. opera Gudmundi Olavi & Peringskioldii. Holmiæ 1697; Nunc vero summis Principis hæreditarii

Friderici auſpiciis Island. Dan. & latine, longe qvam unqvam antea accuratius proditurum, ſub prelo ſudat. Huc refer.

Ryggiar-Sticki, Hiſtorias continens Haraldi Gilla, Magni Cæci, & Sigurdi, Slembediácn dicti, per *Ericum Ottonis*, qvi hoc ſuum opus poſt mortem Sigurdi, ɔ: poſt ann. 1139. abſolvit.

β. In ſpecie, juxta Alphabeti ordinem.

**Anis Bog-ſveigis*, (arcum tendentis) in *Biörneri* Kämpa-dater edita.

**Andri* Comitis, qvam carminibus incluſam tantum vidi.

Asmundi, Flagdagiæf dicti.

Asmundi & Tryggonis.

**Aulveri Callidi*.

Erici Peregrinatoris (Vídförla)

Eymundi Hringi filii,

**Fridthiofi Strenui*, a *Biörnero* lib. cit. edita.

Gunnari Thidrandicidæ (Þidranda-bana)

**Halfi Regis & Athletarum ejus*, & in ſpecie *Hroki Nigri* a *Biörnero* lib. cit. edita.

Hakonis Sverreris fil. qvæ tam à patris, qvam filii hiſtoria, ſeparata habetur.

Haqvini Regis Grandævi, hujus Haqvini filii; auctore *Sturla Theodori* Nomophylace, qvam, una cum chronico Snorroniano, Principis hæreditarii Friderici auſpiciis & munificentia qvam primum edendam exſpectare poſſumus

Hako-

Hakonis Norvegi, qvi Svenonis Estritii tempore Daniam & Angliam invisit, vita.

Hallbiörni Semigigantis (*Háls-tröll*)

Hallvardi, Vebiorni filii, qvi sanctis annumeratur, & ab *Enaro Haslidi filio* in suis annalibus occubuisse dicitur 1043. (Conf. *Joh. Wasthovii vitem Aqvil.* p. 38. col. Agr. 1623)

**Halfdani Regis Eysteni* filii a *Biörnero* lib. cit. edita.

**Hemingii*, qvi incidit in tempora Haraldi Regis Sigurdi filii.

**Rolfonis Pedestris*, Rögnvaldi filii.

Johannis Upplandiarum Reguli.

Ketilli Hæng & *Grimeri Hirsutigenæ*, in latinum Sermonem translata per *Islevum Thorlevium*, & postmodum edita a Rudbeckio. Ups. 1697.

Magni Regis Haqvini f. *Legum Emendatoris* dicti, per *Sturlam Theodori* juniorem, satellitem & Dapiferum Magni Regis, & dein aliqvot vicibus Nomophylacem totius Islandiæ, usqve ad ann. 1272. qvo Vir ille prudentissimus & insignis poëta officio se abdicavit: obiit fere septuagenarius 1284. Fragmentum hujus historiæ exstitit in Biblioth. Magnæana.

Olavi Regis Crassipedis (Digurbeins).

Olavi S. Haraldi filii, cum annexis multis historiis brevioribus (vulgo þættir) qvæ vitam dicti Regis aliqvo modo illustrant (e).

**Olavi Regis Tryggvini*, *per Gunnlaugum Leifi* fil. & *Ottonem* Monachos, (f)

Ottonis Sagittarii (Örvar-odds, alias late Peregrinantis. Upſ. edita.

Reſi & Dala-fiblorum.

**Sigurdi*, *Forni* Regis filii, tempore Haqvini Com. Hlad.

**Saurlonis Robuſti* a *Biörnero* lib. cit. edita.

Sturlaugi laborioſi (Starfſama) qvam edidit Gudmundus Olavi 1694. Isl. & Sv.

Sverreris Norvegiæ Regis, ſcripta juſſu ejusdem Regis a *Carolo Johannis* fil. Abbate Tingeyrenſi, qvi abbatiam adiit 1160. (ſec. al. 1179) & obiit 1213. Ind. 83. Hanc una cum chron. Norveg. Snorroniano Principis hæred. auſpiciis editam orbis eruditus brevi videbit.

**Thoreri Altipedis* (Halegg) qvi incidit in tempora Olavi Regis Tryggvini, & in prælio contra Ericum & Svenonem Haqvini filios deceſſit.

**Thorſteini*, *Bæarmagn* dicti, in Biörneri *Kämpe-dater* edita.

Thorſteini Vikingi f. in lingvam Svecicam translata & edit. a Reenhielmio Upſ. 1680.

Thorgeiri Stiakarhöfde dicti.

His Adjungo.

Hiſtoriam Comitum Orcadenſium &

Hiſtoriam Færeyenſium.

IV. Is-

IV. Islandiam & Grænlandiam.

α) In genere.

1. *Origines Islandiæ*, sive *Landnama-bók*. De primis insulæ nostræ occupatoribus seorsim scripsere *Aras Thorgilsi* filius, *Kolskeggus Asbiörnonis* filius, & *Styrmerus*. (qvi bis, anno nimirum 1210. & 1230 Nomophylacis officio functus, obiit 1245) qvos multisciorum cognomine cohonestavit antiqvitas, *Sturlaqve Theodori* filius junior. Hos demum secutus est *Haucus Erlendi* filius Nomophylax si non 1294 certe 1306, fato functus 1334, cujus opus in Latinam Lingvam convertisse *Arngrimum Johannis* Pastorem Melstadensem testatur *Thorlacus Skulonius* in Epistola ad *Ol. Wormiam*. Horum e scriptis conflatum esse existimo, opera recentioris cujusdam, vel forte ipsius *Hauki*, Librum, cui Nomen *Landnama-bók*, qvi opera *Theodori Thorlacii* Episcopi Skalholtensis in publicam prodiit lucem Skalh. 1688, & toga latina primum donatus est a *Thorlevo Haltori* fil. Philos. Mag. & Rect. Scholæ Hol., anno vero 1774. per *Joh. Finnæum*, cum ejus versione latina & alio apparatu Hafn. in in 4to denuo editus.

2. *Libellus de Islandia Arii Polyhistoris* Thorgilsi filii, ipsi a *Sturlæo* in *Chronico* attributus & sæpius editus. Ad illum *notas* uberrimas collegit *Arnas Magnæus*, qvæ in illius instructissima supersunt Bibliotheca: Arii vitæ momenta, ut & plura de ipsius Schedis, sive laudato de Islandia Libello, accurate proponit S. V. D. Johannæus in Hist. Eccl. Per. II. S. I. §. 6. 7.

3. *Historia introductæ in Islandiam Religionis christianæ*, edita a *Thorlacio* Skalh. 1687. Hæc unacum Tractatu brevi de Islevo Episcopo civitate latina donata & notis illustrata prodiit Havniæ 1773 in 8vo. cura Sevirorum ad antiqv. sept. evulgandas constitutorum.

β) In Specie, juxta Alphabeti Seriem.

Aronis Hiörlevi filii.

**Aunundi Lignipedis* dicti. (Aunundi Trefoot) edita Holis una cum Grettis-Saga 1756 in 4to. Isl. tantum.

Arnæ Thorlaci fil. Episcopi Skalholtensis.

**Bardonis, Snæfellensium Deastri* dicti Holis 1756. in 4to.

Brandkrossi (Brandkrossa-þáttur).

Biörnonis Hytdalensium Athletæ.

**Bandamanna*, sive conjuratorum, ed. Hol. 1756 in 4to.

**Broddhelgonis.*

**Buonis Esiæ Alumni* (af Bua Ésiú fostra. alias Kialnesinga-Saga). Islandice tantum, ed. Hol. 1756. 8vo.

**Droplaugæ Filiorum*, Helgonis & Grimi.

**Egilli Skallagrimi* filii, qvæ illustr. *Suhmii* auspiciis per Stipendiarum Magnæanum Dn. *Magnæum* edenda jam sub prelo sudat.

Egilli filii *Halleri Sidensis.*

Eyrbyggensium, al. *Thornesingorum Historia.*

Erici Rufi, cujus Historia Grönlandiam potissimum spectat.

Finnbogi Robusti (Rama)

Floamannorum sive *Thorgilsi Orrabeinii* sive Plagipedis

**Gislavi Surfonii* ed. Hol. 1756. 8vo.

* *Gretteri*

**Gretteri Robusti* ed. Hol. 1756. in 4to.

Gudmundi Divitis (Ríka) al. *Reykdæla.*

Gudmundi Aræ f. Episc. Hol. eaqve duplex (g)

Gullthoreri (Thoreri Aurei) Ottonis filii, alias *Torsk-fiordensium historia.*

Gesti Bardonis filii edit. Hol. 1756. in 4to.

**Gunnari, Keldu-gnups-Fífl. dicti.*

**Gunnlaugi Ophiglotti* (Orms-tungu), qvam in latinum sermonem transtulit & notis illustravit *Joh. Erici* ed. Havn. 1775 in 4to. prædictorum Sevirorum cura.

**Hrafnkeli, Freis-goda* dicti.

**Havardi Claudi,* sive *Isfiordensium* ed. Hol. 1756. 4to.

Havardi & Holmveriorum, cujus auctor *Styrmerus* sapiens a qvibusdam habetur. ed. Hol. 1756. 8vo.

**Haukdalensium*, qvam vix superesse credo.

Heidarviga-Saga alias *Vigabarda-Saga* f. *Viddæla-Saga* de qva plura vide not. ad Gunnl. Ormst. vitam pag. 9-11.

Helgonis Poëtæ.

**Holm.* al. *Holmgaungu Bersi.*

**Hallfredi*, *Vandræda-skáld* dicti.

Hungurvaka, de qvinqve primis Islandiæ Episcopis Skalholtensibus agens, scripta ut videtur ante annum 1200. Nomen Libello *jejunæ Lucubrationis*, ab ipso auctore inditum esse videtur, ab ore *Gissori Hallensis* Legiferi pendente; liber vero sevirorum ad antiqvitates septentrionales evulgandas constitutorum cura in lingvam latinam translatus & notis f. Reverendi *J. Finnæi* ornatus jam tum sub prelo sudat.

Johannes S. Augmundi f. Episcopi Holensis, conscripta a *Gunnlaugo Leifi* f. Monacho, instinctu *Gudmundi Aræ* f. Episcopi Holensis. (h)

Johannis Haltori, Episcopi Skalh. qvam citatam tantum vidi in catal. Biblioth. Magnæanæ.

**Kormaki.*

Laxdalensium (Laxdæla-Saga)

Lioti Vallensium (Vulgo Vallna-Lióts).

Laurentii Kalfi f. Episcopi Holensis.

Niali & filiorum ejus, qvæ jam pridem Havniæ edita est opera *Ol. Olavii* 1772 in 4to.

**Ormeri Storolfi* filii.

Oddi Astrologi Somnium. (Stiörnu-odda Draumur)

Pauli Johannis fil. Episc. Skalholt. qvæ una cum Hungurvaka brevi prodibit.

**Refi Callidi* (Kroka-Refs) ed. Hol. 1756. 8vo.

Rafni Sveinbiörnonis filii.

Sturlungorum, nomine reqve *Magnum Islandiæ chronicon* qvibusdam dictum, a *Sturla Theodori* non integrum, sed magna & parte conscriptum putatur. (i)

Svarfdalensium.

Thorhalli Aul-kofræ, ed. Hol. 1756. in 4to.

**Thordi Hredæ* sive Manduci, ibidem eod. anno edita.

Thormodi & *Thorgeiri* Sociorum, vulgo Fostbrædra-Saga.

Thoreri Gallinacei (Hænsa Þoris)

Thorsteini Albi, Aulveri filii.

Thorsteini, *filii Halleri* Sidensis.

Jo-

Thorlaci St. Epiſcopi Skalholtenſis.

Thorlevi, Comitum poëtæ dicti, magna ex parte Hiſtoriæ Ol. Tryggvini Skalh. editæ inſerta.

Thorſinni Karls-efnis, qvæ Grænlandica potiſſimum tractat.

Vatnsdalenſium.

Vid-dalenſium ſive *Heidar-viga Saga*, qvibusdam *Viga-Styrs Saga*, ſed minus recte.

Vigastyrs-Saga; qvæ *Eyrbyggia-Sagæ* Supplementum eſt, per *Heidarviga-Sagam*, ſupra memoratam, continuatum.

Viga-Glumi & filii ejus *Vigfuſi*. ed. Hol. 1756 8vo.

Vemundi & Viga Skutæ.

Viglundi Pulchri & *Ketilridæ*. ed. Hol. 1756 in 4to.

Ulfonis Asgrimi filii, & ejus filii *Asgrimi* & *Thorſteini Tialdſtæding*, *e Cod. Flatey. Col.* 839.

Fateor plures veterum hiſtorias Scandinaviam, inprimis vero Norvegiam & Islandiam illuſtrantes, reperiri poſſe; cum & amicorum Literis & hiſtoriarum catalogis certior factus ſim, etiamnum hoc ſeculo extitiſſe Hiſtorias, qvæ α) exoticis annumerentur, *Ajacis* nimirum, *Alphonſi Regis*, cognomento *Boni*, *Herſkialdæ*, *Hromundi Hringolfi* filii, *Kari Kari* filii, *Sigurdi Snarſara* dicti, *Sigurdi Berſerkorum occiſoris*, *Viglioti* & *Ulfhami*. β) Daniam, Sveciam & Norvegiam ſpeciatim tangentes, *Hringi* puta & *Skialdæ*, (*Hríngs og Skialdar Saga*), *Biörnonis ferrei Lateris*, (*Járnſidu*), *Ivari*, *oſſibus deſtituti* (Beinlauſa), *Sigurdi Hringi* (qvæ hiſtoriarum monumenta ſunt forte Skiöldungorum Hiſtoriæ ἀποσπάσματα), *Sigurdi Cervi*, *Helgonis Strenui*, *Haqvini Norwegi*, *Hildæ*, *Canuti Sancti*. γ) Islandiam

diam concernentes; *Biörnonis Breidvikingorum Athletæ*, *Hrafni Mosfellensis* (forte eadem ac Gunnlaugi Ophiglotti), *Vigabardonis*, (eadem sine dubio ac *Heidarviga-Saga*), *Halltori Snorronis*, *Hermundi*, *Haqvini* filii, *Hreidari Stulti*, (idem forte Tractatus, ac qvi insertus est Historiæ Olavi Sancti), *Skeggi Midfiördensis*. Hic tamen qvaliscunqve index, per lancem velut saturam collectus, indefessum apud veteres Islandos colligendi, in vernaculam transferendi, & historias conscribendi studium, ostendere poterit: qvæ vero deperditæ habentur historiæ, sunt e multis: *Einari Gislis filii*, *Alfgeiri*, *Grimi Kroppensis*, *Thorgilsi Hallæ filii*, *Hallbiörnonis Hale* dicti, *Hroari Curionis Ethnici Tungensis* (Róars Tungu-goda), *Bödmodi*, *Gerpis*, *Grimulfi*, *Thordi Gelleris* filii, *Vebiörni*, *Hraungvidi Berserki & Vikingi*, *Olai Lidsmannorum Regis*, *Ormi Poëtæ Barreyensis*, *Thoreri Canipedis*, *Agnaris Hroari Daniæ Regis filii*, *Hiadningorum*, *Eyjholensium*, (nisi eadem sit ac Historia Víga-Glumi), *Kiallaklingorum*, *Ottonis*, *Poëtæ* cujusdam Norvegi, *Ulfi Spraka leggi*, *Vatnaris Vicarisqve*, *Hroki Nigri*, *Skiöldi Dagi filii*, *Kvikii Comitis*, & id genus, incertæ partim ætatis, plurium, qvæ in monumentis antiqvis citantur.

(a) Partem puto hujus historiæ civitate prius latina, nempe 1641 ab E. M. donatam; Tractatum scilicet innuo in Bibliotheca Rostgaardiana, continentem historias Regum qvorundam Daniæ, incipientem a Svenone Estricio usqve ad obitum Regis Valdemari, filii Canuti Ducis, qvi Tractatus idem forte est ac qvem allegat Resenius in Præf. ad Eddam.

(b) Auctor hujus narationis est *Otto Monachus* Tingeyrensis, qvi suam historiam transmisit *Johanni Lopteri* f. (qvi sec. annal. ob. 1197) & *Gizero Halleri*, summi Commatis in patria viris, ubi & exposuit auctores historiæ a se conditæ. Conf. Torfæi Series Regum & D. D. & N. p. 45.

(c) Vitam *Aræ* scripsit Clariss. Bussæus, qvæ conferri posset cum prologo Olavi St. Regis Historiæ, qvæ fuit in Biblioth. Resen. Caps. VIII. ord. 1. pag. Catal. 259 & Torfæum L. c. p. 43.

(d) Snorro Sturlæus ex Sturlungorum celebri prosapia oriundus, natus est 1178 in Norvegiam profectus 1218., in aulaqve Ducis Sculonis commoratus est, ipsius & Haqvini Regis Dapifer & inter Nobiles receptus. Anno 1237 Norvegiam denuo petiit, & elapso biennio, cum Skulo regium titulum sibi adscivit, invito Rege Haqvino, in patriam rediit, jussuqve Regis, (suspectus qvippe eidem ob amicititiam cum Skulone, regni æmulo, qvi sub discessum Comitis titulo Sturlæum cohonestavit, contractam, ideoqve perduellionis accusatus) a genero qvondam suo, Gizero Thorvaldi filio, Comite vel Satrapa Regio interfectus Reykholti inter 22 & 23 Sept. anno Christi 1241 vel 1242 ætatis vero suæ 63. v. Sturl. Hist. P. IV. cap. 21. P. VI. c. 5. 23. 31. Laudatus hic Sturlæus summæ auctoritatis fuit, bis Nomophylax, annis nimirum 1215. 1222. poëta pereximiis, & historicus tum accuratus, tum ob nativam & elegantem dicendi gravitatem disertissimus. Plurima vitæ ejus momenta colligi possunt ex Sturlungorum Historia.

(e) Qvod

(e) Qvod *Styrmerus* ob variam eruditionem *Multiscius* dictus, (qvi bis Nomophylacis officio functus, obiit sec. Annal. 1245) historiæ hujus Auctor fuerit, colligi potest ex additamentis ejusdem historiæ, qvæ reperiuntur in Cod. Flatey Col. 750. seqv. *Aram* vero *Polyhistorem* vitam Olavi S. conscripsisse indigitat auctor Chronici Rythmici, qvod ex lingva Norvegica in Svecicam translatum est, & ab Hadorsio editum 1675. pag. 2. 3. 77.

(f) Codex hujus historiæ, qvi Skalholti impressus 1681. vulgo teritur, & *Gunnlaugo Monacho* (qvi obiit 1218 al. 1219. suamqve histoaram de Olavo Rege Tryggvino revidendam misit Gizero Halleri Nomophylaci, apud qvem biennium delituit, ab auctore deinceps emendata. v. cit. Hist. Cap. 106. 108. P. II.) adscribi solet, post tempora Gunnlaugi sine dubio auctus, & ex latina in lingvam Islandicam translatus est. Differt Skalholtinus iste Codex ab Historia ejusdem Regis, qvæ *Ottoni Monacho* communiter adscribitur, & edita est cum Versione & Notis a Jac. Istm. Reenhielmio Ups. 1691. adeo ut codicem Skalholtinum putem compilatum esse ex Scriptis *Ottonis & Gunnlaugi*, & forte post illos adauctum, sed a qvo, latet, nisi qvis dicere velit, dictum Codicem a *Birgero* Abbate compilatum, inductus auctoritate catalogi MSS. Scandicorum Illustri Hickesio missi 13 Martii 1701. Sed Birgerum Abbatem Islandum non reperi, sed *Bergum* vel *Bergerum Sokkonis*, de qvo alibi, qvem opera Gunnlaugi & Ottonis in unum corpus redegisse, & in lingvam vernaculam transtulisse credibile est.

(g) Al-

(g) Altera *Gudmundi*, (*Boni* dicti), Episcopi vita, conscripta est à *Sturla Theodori*; altera multo post, per *Arngrimum* qvendam *Monachum* (ut ipsa præ se fert historia) priore multo prolixior, & nugis admodum scatens superstitiosis. Gudmundi hujus vitam carmine complexus est *Arnas Jonæ* Abbas Tveraaënsis, qvi sec. Ann. Flatey. 1371. fato functus est. Porro succurrit, qvod inter Anecdota Bibliothecæ Rudbeckianæ *vitæ Gudmundi* (rectius Geirmundi) *Heliarskinn*, qvi Halfi regis filius erat, *Gudmundi Dyra*, *Thorgilsi Skarda* &c. (qvæ ἀποσπάσματα tantum, qvantum conjicere licet, sunt *Sturlungorum historiæ*, adeoqve a me in textu omissæ) a Petro Tillæo Gymnasii Arof. Lectore referantur.

(h) Hic qvoqve *Gunnlaugus Historiam S. Ambrosii* composuit, & qvod suam prætulit illi, qvæ a Gregorio M. concinnata fuit, & in æde B. Virginis Holana Cathedrali recitari solita indignationem Gudmundi Episcopi incurrit, ut ex ipsius vita Majore, per *Arngrimum consuta* patet.

(i) Priorem hujus historiæ Partem a *Brando Sæmundi* f. Episcopo Holensi concinnatam non sine fundamento conjicitur.

(k) Postqvam hæc scripsi, commode mihi in manus venerunt Catalogi Manuscriptorum qvorundam Islandicorum, qvi præter partem non exiguam Historiarum antea laudatarum addiderunt seqventes: *Asmundi*, *Berserkiabana* dicti, *Asmundi & Asvideri*, *Adami* Episcopi, *Akurnesensium*

fium, *Bikii*, *Bremidani*, *Bergliotæ Pulchræ*, *Ceciliæ Pulchræ*, *Einari Sokkonis*, *Framaris*, *Alfi Geyrſtadenſis*, (forte Apoſpaſma Chronici Sturlæani) *Grimi Skeliungicidæ*, *Garganis*, *Godfreyri*, *Galmeyi*, *Halfdani Claudi*, *Hringi & Tryggonis*, *Hermodi* carmina; *Haukdalenſium*, *Helgonis Strenui*, *Holtamannorum*, *Illugonis Taglderiсidæ* (Tagldarbana), *Kari & Katlæ*, *Rafni Rutſiördenſis*, *Sigurdi Fofnicidæ*, (qvæ Volſungorum Hiſtoriæ pars eſt) *Sigurdi Poëtæ*, *Thorſteini Tauripedis*, *Thorſteini Curioſi*, *Thorſteini Sudurfara* (Auſtrum verſus peregrinantis), *Ulfhami*, *Valtari*.

§. 5.

Reſtat ut uno qvaſi verbo indigitem annales in Islandia, ante Reformationis tempora, confectos, ubi ſtatim ſeſe offerunt ſeqventes: *Annales Flateyenſes*, e *Codice Flateyenſi*, Bibliothecæ Regiæ ornamento, & præſtantiſſimo antiqvæ ſolertiæ monumento, deducti, ad ann. poſt N. C. 1394. ſe extendunt. *Annales Oddenſes* incipiunt in qvibusdam Exemplaribus ab initio mundi, in aliis a temporibus Caroli Magni, in diverſos qvoqve annos ſeculi XIII. deſinunt; Tractant autem antiqviſſima Regnorum Ebræorum, Aſſyriorum, Perſarum, Græcorum, Latinorum, & omnium fere nationum primordia & regnantium apud varias gentes ſeriem, vitas inſuper clarorum Virorum, aliasqve res memorabiles interdum adjungentes. Hos Annales *Sæmundum Polyhiſtora Sigfuſium* ex lingva Latina in Islandicam convertiſſe Inſcriptio codicis cujusdam Chartacei in Bibliotheca Magnæana exſtantis clare docet (a). Super-

Superſunt etiam alii Annales, qvi cum Oddenſibus confunduntur a vetuſti Chartacei exemplaris ſcriptore, qvos excerptos dicit ex *Annalibus Styrmeri Polyhiſtoris*, & ad finem ſeculi XIII extenduntur, qvos tamen in totum nec *Sæmundo*, nec *Styrmero*, multo prius e vivis excedentibus, adſcripſerim.

Annales Skalholtenſis antiqviores & recentiores. Illi incipiunt anno poſt Ch. n. 140 & continuantur ad annum 1356 teſte *Johanne Egilli* parocho, qvi ad dictum ann. in ſua *Harmonica annalium Compilatione* dicit: " Nú endar Skálholts annál!" obſervante Celeberr. *Arna Magnæo*. Hi cum illis fere coincidentes incipiunt anno Ch. 70 & extenduntur ad ann. 1430.

Annales Regii (Sic dicti qvia in Tabulario Regio aſſervantur) incipiunt a regimine Julii Cæſaris, & extendunt ſe ad ann. 1341 & a Celeb. *Langebeckio* cum verſione Latina & notis inter Scriptores rerum Dan. T. III p. 3 - 139 editi ſunt. Cum his a qvibusdam confunduntur

Annales Einari Hafl̃idi filii, (Holenſes qvibusdam nominati, itemqve Skalholtini recentiores, cum æqve longam temporum ſeriem includant, & vix ab illis diverſos judicaverim, cum in plurimis conſentiant,) poſt mortem auctoris continuati (c).

Annales Reſenii, a Poſſeſſore Reſenio ſic dicti, vulgaribus annalibus cenſentur accuratiores, & cum Skalholtenſibus paſſim conſpirant; in Anno Chr. 1296 deſinunt. His addi poſſunt, præter *Annalium Fragmenta*, & *Necrologium Iſl.* ab illuſtriſſ. & in antiqvi-

 tatibus

tatibus borealibus verſatiſſimo J. Langebeck Scriptorum rerum Danicarum medii ævi T. II. inſerta, qvorum tamen poſterius ad calcem Tom. I. Hiſt. Eccleſ. Island. primum editum eſt.

1. *Totius Orbis Diſcriptio, per VI ætates mundi diſpoſita*: In qvinqve prioribus proponuntur usqve ad nativitatem Chriſti primordia IV. monarchiarum, earumqve fata: Fata qvoqve regni Britannici, & hiſtoria Regni Judaici ad natum Chriſtum exhibentur. Sextæ ætatis hiſtoria continet vitas Chriſti & Apoſtolorum, Catalogum Summorum Pontificum usqve ad Clementem IV. nec non Recenſum Imperatorum Romanorum, usqve ad Fridericum II.

2. *Compendium Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, a mundo condito, ad Linum, Clementem & Cletum Pontifices.

3. *Series Pontificum Romanorum* a S. Petro ad Agapitum.

4. *Tractatus de IV. Conciliis Oecumenicis.*

(a) Qvod a Sæmundo Polyhyſtore, qvales nunc habentur, minime confecti ſint, ſed a recentiori qvodam interpolati, qvod ante me obſervavit celeb. *A. Magnæus*, arguit, tum novitas dictionis hinc illinc ſatis manifeſta, tum qvod Auctor ad ann. m. 3513. comparet inteſtina Græciæ bella cum diſſidiis, qvibus Islandia tempore ultimorum Epiſcoporum Pontificiæ Religioni addictorum, laboravit, tum qvod Saxonem & Johannem Magnum in Recenſu Regum Daniæ & Sveciæ contra veterum

rum popularium suorum fidem & auctoritatem seqvatur. Nihilominus *Sæmundo* ista Annalium Congeries, qvæ profecto multa bona in se continet, adjudicata fuit a *Biörnone Skardzaaënsi* in ejus opusculo de Runis, *Gudmundo Andreæ* in Præf. ad carmen Volu-Spá, & qvi eum secutus est, *Resenio* in Præfatione ad Lexicon *Gudmundi Andreæ* Islandicum, cui errori, nomen prædii Odde, qvod Annales referunt, & ubi *Sæmundus* habitavit, occasionem dedisse videtur.

(b) *Sæmundus Sigfusius*, patre sacerdote natus in Australi Islandia, sec. Annales Flatey. Regios & Chartaceos anepigraphos 1056. Secundum Resenium in Prologo ad Lexicon Gudmundi 1057 sed secundum vitam Joh. St. Episcopi Holensis 1054. Studiorum gratia in primo juventutis flore Germaniam, Galliam, & plures forte exteras regiones perlustrans, in patriam svasore & Comite Joh. S. Ögmundi filio Roma reverso 1076 rediit, prædium hæreditarium *Odde* accedens, & mox Sacerdotio initiatus, tantæ Vir Auctoritatis, ut nominetur in S. Johannis vita *Columna Ecclesiæ Islandicæ*, it. *qvi Ecclesiæ Dei in Islandia maximo fuit emolumento.* Hic cum Gizero Episcopo, Marcoqve Nomophylace Islandis, ut aliorum christianorum more decimas solverent, auctor existens, Thorlaco & Ketillo Episcopis in ferendis legibus Ecclesiasticis suppetias tulit. Ob variam eruditionem *Polyhistoris* sive *multiscii* cognomen ab antiqvitate obtinuit, illustris prosapiæ conditor, præcipuis Insulæ proceribus annumeratus, qvin etiam discordiis patriæ funestioribus

 adhibi-

adhibitus sopiendis. Huic etiam, utpote Antiqvitatum gnarissimo, *Aras Multiscius* primitias suas historicas revidendas obtulit; ipse vero *Sæmundus historiam Norvegicam* ab Haraldo pulchricomo ad Magnum Bonum conscripsisse qvibusdam censetur, cujus umbram Anonymus qvidam exhibet, qvi Regum tantum seriem, annosqve Imperii carmine Islandico inde excerpsit, & ad Sverreris Regis tempora deducit. Hanc qvoqve Sæmundi Historiam allegat in vita Olavi Tryggvini duobus locis *Otto Monachus*, (qvi obiit 1192) & ideo a *Torfæo* in *Serie R. & D.D.* p. m. 40 scriptoribus historicis accensetur. Obiit *Sæmundus* fere octogenarius Anno sec. Annal. Flatey. Regios & Resenianos 1133. Plura ad vitam nostratis *Sæmundi* spectantia videre licet apud Torfæum l. c. & *Arnam Magnæum* in vita Sæmundi Mss. cui nonnulla eorum, qvæ attuli, me debere gratus agnosco.

(c) Hic *Einarus Haflidi filius* natus est (sec. ipsius annales) anno 1307. in octava nativitatis B. Virginis; Scholam Holanam adiit 1317 qvam tum moderabatur Egillus Eyulfi; postea Diœceseos Holanæ Episcopus. Subdiaconus factus 1324. Diaconus 1326. Secretarius Laurentii Episcopi 1333. Parochus Höskuldstadensis 1334. Rationarius Cathedræ Holensis 1340. Curio Breidabolstadensis in Vesturhóp 1344. Norvegiam petiit 1345. moxqve Italiam, & seqvente anno in patriam rediit. Diœceseos Holanæ officialis evasit 1370. & obiit juxta continuatorem ejus Annalium anno 1393. Cæterum in dijudicanda ad-

ductorum

ductorum Annalium fide, & auctoritate vasta lectio, necessaria veterum monumentorum supellex, & otium reqviritur, vixqve unius hominis labor est, nedum mei, negotiis distracti homunculi, si qvævis ad vivum sint resecanda. Annales tamen Flateyenses, nec non qvi ab Einaro conscripti sunt, & Reseniani, itemqve anepigraphi illi, qvi a Brynjulfo Svensonio Episcopo Skalh. *Lögmanna Annálar*, qvod Nomophylacum ordinem accuratius notent, vocantur, & compilamen priorum videntur, præ reliqvis commendari solent. Fateor præterea ingenuè, qvod aqva mihi hæreat, num recte distinxerim Annales Einari a Skalholtinis illis recentioribus, cum summa confusio in analium inscriptione, prout in diversis Exemplaribus habetur, regnet, & ob hanc rem & alias rationes difficile judicatu sit, qvænam genuinæ sint inscriptiones.

§. 6.

Ut Historiographi Islandi genealogiarum gnarissimi fuerant, easdemqve historiis suis studiose inseruerunt; ita ex constituto *Libros Genealogicos* concinnarunt, reliqvos hac in materia (qvantum ex monumentis constat ætatem ferentibus) præiens laudatus Polyhistor *Aras Thorgilsi* f. in *Schedis suis de Islandia*, & *Brandus Prior Holtori* f. *Sapiens* dictus, qvi *Breidfirdingorum Genealogias* contexuit. Ut nihil deniqve deesset, qvo studium historicum adjuvari possit, Geographiam non intactam reliqverunt veteres; unde *Gizerus* Nomophylax *Halli* f. Titi Haukdalensis nepos (vir suo tempore percelebris, Sigurdi Regis, qvi

pater erat Sverreris Magni, aulæ Magifter, ac deinde Nomophylacis in Paria fafces gerens anno 1181, lingvarum exoticarum admodum peritus, inter eruditiffimos fui ævi numeratus (tefte Sturl. Hift. P. IV. cap. 5.) adeo ut fcripta fua hiftorica ei revidenda transmiferint *Gunnlaugur & Otto* Monachi, auctorqve Hungurvakæ ei pleraqve debuerit) confcripfit librum *de Situ Regnorum ac præcipuis urbibus*, qvem *Florem Peregrinationis* appellavit. Supereft etiam in Bibliotheca Magnæana *Tractatus Geographicus*, qvi primo defcribit Situm Paradifi, deindi præcipuas Regiones ac memorabilia, qvæ occurunt in tribus mundi partibus, recenfet. Refert Tractatus iftius auctor, horum, qvæ fcripferat, notitiam fe haufiffe ex ore *Nicolai Abbatis*, viri fuo tempore celebris & fapientis, qvi obiit fec. ann. Anepigraphos 1159.

MEMBRUM POSTERIUS.

Scripta qvædam poft Reformationem Hiftorica fiftens.

§. 7.

Excuffa Papatus Caligine, bonisqve renafcentibus literis primi Ecclefiarum Antiftites & miniftri in vero Dei cultu promovendo ftabiliendoqve ut plurium occupati, ftudium hiftoricum, qvantum mihi conftat, ex profeffo non tractarunt, donec Scriptis fuis hiftoricis & contra maleferiatorum qvorundam calumnias apologeticis exemplo laudabili fi non omnes, certe plerosqve tum præiit, tum ad Studia humaniora excitavit *Arngrimus Jonæ Widalinus* (a) Hinc multi annalium

lium compilatores, & alii, qvi vel exterorum Scripta hiſtorica in vernaculam transtulerunt, vel hiſtorias ipſi conſcripſerunt, aut veteres in novam redegerunt formam.

(a) Hic Arngrimus, non ſolum in patria ſed etiam apud exteros magnam nominis celebritatem ob variæ eruditionis documenta nactus eſt. Bis fuit Rector Scholæ Holenſis, adhæc parochus Miklabajenſis 1590. & ſimul mox Melſtadenſis. Vicarius Epiſcopo Gudbrando Thorlacio conſtitutus 2 Jul. 1624. ab Holgero Roſenkranzio Islandiæ Præfecto, ut viſitaret ſacras ædes in Diœceſi Holana, & ut ſacro initiaret munere parochos juſſus 1626. Epiſcopen a multis Diœceſeos Holanæ Eccleſiarum miniſtris (qvi tum jure repræſentandi gaudebant) defuncto Gudbrando oblatam modeſte recuſavit, & obiit anno ætatis octogeſimo, poſt natum Chr. 1648. Plura ad vitam ejus pertinentia colligi poſſunt ex Epiſtolarum Wormianarum collectione ed. Havniæ 1751 inprimis pag. 344. 348. & ej. *Apotribe Calumniæ* pag. 27. ſeqv. qvæ prodiit Hamb. 1622.

§. 8.

Præcipui *Annalium* Scriptores, qvi ſuperiore ſeculo vixerunt, & res ſeculi XVI. & XVII. inprimis conſignarunt, ſeqventes mihi occurrunt:

1. *Biörno Johannis* Skardzaaënſis, qvi ſuos Annales inſtinctu Thorlaci Skulonii Epiſcopi Holenſis exaravit, annalesqve E. Haflidii antea memoratos continuaſſe videtur, continuator itaqve veterum Annalium

nalium potius, qvam qvi illos in unum corpus redegerit, dicendus. Annales Skardzaaënses incipiunt ab anno 1400 & se ad annum 1645. juxta editionem qvæ 1774 & seqventi ex novo Typographeo Hrappseyæ erecto Islandice & latine duobus vol. in 4to. prodiit, extendunt.

2. *Magnus Johannis* Vigrensis, Vir bene literatus.

3. *Gottskalkus Johannis* f. Curio Glaumbæensis.

4. *Otto Erici* Fitensis, Generalis Dicasterii Assessor, in cujus opere justam examinis limam hinc illinc desiderabis.

5. *Ericus Bernhardi* Skriddalensis, cujus Annales centurias Annorum binas complectuntur.

6. *Gudbrandus Johannis* Pastor Vatnsfiordensis.

7. *Petrus Einari* judex pedaneus, qvi annales sui ævi conscripsit ab anno 1597 ad 1665.

8. *Arnas Magnæus*, Colonus Bolungarvikensis, binos annales composuit, qvorum hi circa exotica plurimum versantur, & tumultuarie videntur collecti; illi vero Compilamen videntur annalium Skalholtensium & Oddensium, ubi annalium Skalholtensium chronotaxin seqvi videtur, nonnulla omittit, qvædam addit, perduxitqve hoc suum opus ad annum superioris seculi nonagesimum qvintum.

9. *Sæmundus Arnæus*, qvi *Tabulam annorum mundi* e Scriptura Sacra & Philone deductam anno 1600 confecit, qvæ aucta & illustrata deinde a laudato Arna Magnæo 1669, ubi præcipue merentur legi,

qvæ

qvæ de Islandia scripsit, & qvæ notatu digna profert de præcipuis Islandiæ Magnatibus usqve ad tempora Christiani v. (gl. m.)

Nostro Seculo, qvi Annalibus conficiendis manus admoverunt, nominare sufficiat.

1. *Benedictum Petri*, Pastorem Bæensem, cujus Annales incipiunt ab anno. 1665. & desinunt ann. 1717.
2. *Holtorum Thorbergi*, Dicasterii Generalis Assessorem & Pro-prætorem Districtus Skagafiördensis, qvi Annales Skardzaënses ad annum hujus seculi 20 continuavit.
3. *Thorlacum Marci*, Patrii juris & Historiæ satis peritum, medicamqve ob praxin qvibusdam laudatum, qvi tum antiqvos, qvos colligere potuit, Annales in unum Corpus redegit, tum memorabilia sui ævi & proxime præcedentis sedulo consignavit.

§. 9.

Scripta exterorum Historica in lingvam Islandicam translata, variis omissis, seqventia commemorare visum est:

Hermanni Fabronii Historiam, (qvæ publicam vidit lucem 1612) in vernaculam transtulit *Johannes Gudmundi* anno post Chr. n. 1647 ætatis interpretis, ut ipse fatetur, suprá septuagesimum tertio. *Historiam* qvoqve *Sinensium* idem Johannes (a) compilavit ex scriptis P. Martini de Herrada, ord. S. Aug. & Hieronymi Marini.

Regum Perſarum Chronicon ex Germanico vertit *Einarus Bernhardi*, paſtor circa 1720 ad Cœnobium Kirkebajenſe.

Buntingi Itinerarium Sacrum transtulit *Sigurdus Einari* paſtor Saurbajenſis in Diſtrictu Vadlenſi, prout ex carmine Gratulatorio Magni Olavii paſt. Lauſaſ. conſtat.

Andreæ Bollingi Itinerarium in vernaculam translatum ab *Einaro Gudmundi* Parocho Stadenſi in Reykianes, qvi officio remotus 1638 (al. 1635)

Chronicon Carionis & Nanſenii Compendium Cosmographicum translatum a *Theodoro Svenonis*, paſtore Eyrenſi in Scidisfiörd & Ögrenſi.

Abrahami Ortelii extracta Cosmographiæ, in patrium ſermonem verſa a nuper laudata Einaro Gudmundi, qvi Hiſtoriam qvoqve Caroli Stuarti Angliæ Regis e Belgica lingva in vernaculam convertit 1651.

Chriſtiani Junckeri Hiſtoriam Eccleſiaſticam, qvam civitate Islandica donavit *Joh. Thorkillius* (*b*).

Seckendorffii hiſtoriam Lutheraniſmi Germanicam a Friſio editam 1714 in lingvam patriam ſumma diligentia convertit *Eyulfus Johannis* Vallenſis, (c) ſecutus qvidem laudatum auctorem, ſed ita ut ea, qvæ ad Hiſtoriam Lutheri pertinere viſa ſunt, non præterierit, qvæ nimirum alii Auctores celebres, Melanchthon in vita Lutheri, Flacius in Catalogo Teſt. ver. Micrælius in Comp. Hiſt. Eccl. Lonicerus & Junkerus tradidere. Diſtribuit interpres verſionem in duas partes, Capitibus diſtinctas, præfixis ſummariis, qvarum prior continet acta Lutheri ab anno natali ad ann. æt. 48 (ɔ: ann. Chr. 1531), poſte-

posterior eadem a dicto anno ad ejus obitum. Porro Svetonium, XII. primos Libros Livii, Regum Persarum qvoddam Chronicon, & Chr. Mathiæ Theatrum Historicum in lingvam vernaculam transtulisse Dn. Eyulfum audivi.

His subjungo Chronologiam Sacram N. T. ex Philippi Nicolai Libr. II. De Regno Christi, auctam a Nicolao Michaëlio Alburgensi, impr. Havniæ 1628. qvam in vernaculam transtulisse 1629 *Ottonem Ottonis* f. Pastorem Reynevallensem, ex amicorum literis certior factus sum.

(a) Natus est hic Johannes anno 1573 vel 1574 plebejo & degenere genere, incola primum Toparchiæ Strandensis circa 1600. unde commigravit in Toparchiam Isfiordensem, (ubi artes magicas exercuisse perhibetur, sed clanculum), verum hinc a Præfecto ejus regionis Ara Magnæo, Episcopi Gudbrandi genero, Magiæ qvippe suspectus, & qvod prædonibus Hispanis, cas oras 1616 infestantibus, qvorum nonnulli commeritas luebant pænas, opem tulisset, expulsus, per partes Insulæ occidentalis hinc inde vagatus, sedes demum figebat in Districtu Snæfellensi, ubi ob superstitiosa carmina & artes si Dis placet, supernaturales, qvas jactavit, singularem adversarium nactus est Gudmundum Einari filium, tum temporis Ecclesiastem Stadastadensem, & districtus Snæfellensis præpositum virum gravem & pium. Hinc ejectus & mox Havniam transvectus, ubi carceri inclusus hyemen transegit: In patriam mox relegatus, ut ejus causa curatius examinaretur, qva denuo cecidit, partem Islandiæ Orien-

Orientalem fenii fui refugium delegit, ubi filium octogenarius fibi fimilem & cognominem progenuit, & in Infula Papey fupremum (juxta Annales Arnæ Magnæi) diem obiit, anno 1658 fed juxta Refenium in Prologo ad Eddam ann. 1663. Fuit cætera Johannes ingeniofus, memoriæ felicis, poetisqve annumerari folet a fuis Conterraneis, nunc *Doctus*, nunc *Pictor* appellatus. Vitæ fuæ momenta carmini *Fiölmod* inclufit, fuamqve Genealogiam ipfe pertexuit. A Biörnone Skardzaënfi in Annal. ad 1636 notatus, qvod contra Lutheri dogmata fcripferit.

(b) *Joh. Thorkilli f.* (qvi fe interdum *Chryforinum*, a Tractu natali Gullbringu Syslą denominavit) natus eft honefto genere ann. 1697, jactis bonarum literarum in Schola Skalholtina fundamentis Havniam 1717 falutavit, & dein Kilonium profectus, alboqve Univerfitatis ibidem florentis infcriptus, poft decem annorum peregrinationem patriam revifit, & poftea Scholæ Skalholtinæ ab anno 1728 ad 1737 Rector præfuit. Havniam deinde eodem anno, qvo Rectoris munere fe abdicavit, petens, anno 1741 poftliminio rediit, Vifitationis Islandicæ a Rege inftitutæ Generalis Notarius; anno autem 1745 patriam reliqvit, reliqvum vitæ fpatium otio literario Havniæ ad diem usqve emortualem, qvi illi contigit 5 Maji 1759. infumfit, poftqvam bona fua erigendæ Scholæ in Tractu Gullbringenfi legaverat.

(c) Natus eft Dn. *Eyulfus* anno fuperioris Seculi feptuagefimo. Poft exactum in Schola patria & Univerfitate Havnienfi aliqvot annorum fpatium, Scholæ

Scholæ Holanæ hypodidascalus evasit. Pastor deinde ad Cænobium Tingeyrense, qvod officium certas ob causas, inprimis Studiis suis ut intentius vacaret, resignavit. Elapsis aliqvot annis Pastoratum Vallensem in Svarfadardal obtinuit & obiit 1745. Vir candidus & pius, in Antiqvitatibus qvoqve borealibus, historia & Philologia apprime versatus, poëtis felicioribus, si exercitium ingenio & arti conjunxisset, adnumerandus.

(d) De *Ottone Ottonis* f. videsis S. V. *L. Harböe* in Nachricht von der Isländischen Bibelhistorie §. 12.

§. 10.

Antiqvitates & Historiam Septentrionis, Daniæ præsertim & Norvegiæ præter *Brynjulfum Svenonis* (a), qvi *collectanea ad historiam Saxonis* scripsit, & *Arngrimum Jonæ Widalinum*, qvi *Compendium Historiæ Norvegicæ* conscripsit, & *Catalogum Numinum orbis Arctoi* in Epistola ad Stephanium contexuit (b), illustravit Celeberr. *Thormodus Torfæus* (c), qvi jussu Friderici III. (gl. mem.) Daniæ Regis, conscripsit *Seriem Regum & Dynastarum Daniæ*, a Skioldo Othini filio ad Gormum Grandævum, Haraldi Cærulidentus patrem, qvam recognitam & auctam in publicam lucem emisit Havniæ 1702. Prodiit vero novum hujus Libri frontispicium, sub Titulo: „ *Universi septentrionis Antiqvitates* Seriem - - - exhibentes " Havniæ 1705. Sed præter Titulum inscio auctore impressum ab eoqve inprobatum nihil novi accessit, prout ipse monet auctor in *Grönlandia* sua antiqva. Emisit præterea *Trifolium Historicum* sive Disser-

Dissertationem Historico-Chronologico-Criticam, de tribus Daniæ Regibus Gormone Grandævo, Haraldo Cærulidente, & Svenone furcatæ barbæ, ubi tempus qvoqve propagatæ in Dania christianæ Religionis demonstratur, in supplementum Seriei Regum Havn. 1707. *Historiam* præterea *Hrolfi Kraki* Daniæ Regis edidit latine laudatus *Torfæus* ann, 1705.

Nec substitit Celeberr. Torfæi Cura Antiqvitates septentrionales in lucem proferendi intra limites Regni Danici, sed absolutissimum, qvod habemus, *Historiæ Norvegicæ Corpus qvadripartitum* luci publicæ exposuit ex Typographeo Schmidtgenii 1711 in qvo præter Norvegiæ descriptionem, primordia gentis, instituta, mores, incrementa, & inprimis Heroum & Regum, tam ante qvam post Monarchiam institutam successiones usqve ad unionem Calmariensem, eorumqve domi juxta ac foris gesta, cum vicinis gentibus commercia, genealogias item chronologiam & qvæcunqve ad Regni Norvegici illustrationem spectant, singula ex archivis Regiis, & optimis, qvæ haberi potuerunt, membranis, aliisqve fide dignissimis auctoribus eruta, luci exponuntur: habuit insuper auctor partem qvintam vasti hujus operis, sed affectam tantum, ad Christiani II. tempora se extendentem, sed diffusum adeo opus, & ætas auctoris fere octogenarii, cum priores tomos emisit, progredi ulterius neqvaqvam siverunt. (d). Edidit insuper *Historiam Orcadensium* Havn. 1697. *Færoas* 1695 *Vinlandiam antiqvam* Havniæ 1705. & *Grönlandiam*, qvæ Havniæ 1706. publici juris facta est. Specialia *Torfæi* Scripta Historica, qvæ tamen Corporis Historiæ Norvegicæ ἀποσπασμάτα tantum, & maxima ex parte dudum in eo edita sunt, memorantur.

1. *Tra-*

1. *Tractatus de rebus Ante-Monarchicis.*

2. *De ratione nominis Norvegiæ,*

3. *De Regni Norvegiæ chorographia.*

4. *De anno natali Haraldi Pulchricomi, ejusqve imperii initio.*

5. *De Rolfo Rögnvaldi Mærarum Comitis filio,* qva non Danum ſed Norvegum fuiſſe oſtenditur.

Concinnavit præterea *Disqviſitionem de primis Islandiæ incolis*, civitateqve latina donavit *Vitas Niali*, & *Thorſteini Vikingi filii.* Reliqvit præterea laudatus *Torfæus* notas poſteriores & indicem in ſeriem Reg. Dan. qvod opus auſpiciis illuſtr. *Sulmii* una cum epiſtolis illius latinis & effigie, nec non *J. Erici Commentatione de Seriei fatis*, ſub Tit. *Torfæana*: nuper in 4 editum eſt. Excipit Celeberr. *Torfæum Arnas Magnæus*, Profeſſor Hiſtoriarum & Antiqvitatum Havnienſis (e), qvi Lipſiæ edidit *chronicon incerti auctoris Sialandicum* 1685. Havniæ vero publici juris fecit 1719. *Teſtamentum Magni Regis* Haqvini filii. *Orationes* inſuper duas habuit, *de initiis chriſtianæ Religionis in Norvegia*, dum alumnus Collegii Medicei fuit annis 1692. 1693. *Tractatum* qvoqve ſcripſit de veterum *Gandvik*, Chorographico - Hiſtoricum. Nec ſicco præterundum pede qvod in Bibliotheca Reſeniana extiterint Snæbiörni *Torfæi Annales*, qvi Præfectos Islandiæ exhibuerint, & editi ſunt Havniæ 1656. Ex recentioribus qvi hic cenſum veniant potiſſimum ſunt:

1. *Egerhardus Olavius*, qvi locorum exoticorum nomina maxime memorabilia, qvæ in Scriptoribus Islan-

Islandicis antiqvis occurrunt collegit & ordine Alphabetico digesta explicuit.

2. *Joh. Erici*, qvi non solum oratione Soræ 1760. Danice edita res præcipuas a Friderico 5to gestas ut & altera 1769 Augustæ domus Oldenburgicæ in subditos merita prosecutus est, sed etiam *controversias de Lappia ejusqve limitibus* inter Danos & Russos agitatas commentatione 1772 Danice scripta, sed nondum edita, illustravit.

3. *Johannes Finnæus*, cujus binæ commentationes: prior: *an Arnesastus Episcopus Aarhusiensis Regem Daniæ Christophorum primum hostia missatica veneno tincta interfecerit*: ab Universitate Havn. 1767. premio ornata, posterior vero: *de causis florentis in Islandia eruditionis ab anno* 1056 *ad finem Reip. liberæ s. annum* 1264. Tractatui *Malletti* hac de re in *Mercurio Danico* opposita, adhuc in editæ sunt.

(4) *Egilius Thorhalli filius*, hodie Parochus Bogomensis, qvi ex Grönlandia redux magnam occidentalis Grönlandiæ partem luculenter descripsit & mapp. Geographicis illustravit, cujus etiam descriptionis Specimen *de veteris hoc in loco Europæorum coloniæ reliqviis ejusqve interitu*. Havn. 1776. Danice in 8vo edidit.

(a) Præcipua viri hujus Doctissimi, literarum & literatorum amantissimi, & in singulis officii sui partibus gravitate & prudentia conspicui vitæ momenta, legi possunt in A. & S. V. Lud. Harboe Nachricht von der Isländischen Bibelhistorie p. 142 seqv.

(b) Va-

(b) Varias Epiſtolas ſcripſit Doctiſſimus *Arngrimus*, inprimis ad Stephanium & Wormium, qvæ Antiqvitatum borealium variis Capitibus lucem non contemnendam fœnerantur.

(c) Natus eſt *Torfæus* 27. Maji 1636. ſt. vet. loco haud obſcuro; Scholam Skalholtinam adiit 1647 inde dimiſſus 1654, qvo anno Amſtelodamum primum ſalutans (ibi enim navis, qva vehebatur, onus depoſuit) Havniam venit, albo Studioſorum inſcriptus vere 1655 a Rectore Magnifico Th. Bartholino, ejus deinde Præceptore privato. Anno 1657 niveos Theologorum calculos obtinuit in Examine publico 4 Maji, & Kal. Junii Teſtimonium Academiæ publicum obtinuit a Rectore Magnifico J. Canutio: Mox eadem æſtate in patriam redux, qvam 1658 reliqvit Muſas Havnienſes ſalutaturus; appulit autem in Norvegiam, ubi hyemavit, ſed verno tempore Havniam profecturus, a Sveco captivus ad ripam Venſalicam deducebatur, ſed rimam elabendi nactus Havniam demum pervenit menſe Julio 1659 & anno ſeqvente Antiqvitatibus explicandis admotus, jubente Optimo Rege Frid. III. Spartam, qvam ejus Anteceſſor *Thorarinus Erici*, qvi 1659. obiit, nactus erat, egregie ornans: unde anno 1662. d. 27. Maji a Rege ablegatus ut antiqvitates patrias conqvireret, in patriam venit, & re bene geſta Havniam rediit. Anno 1664. 10 Jul. negotiis Cameralibus in Diſtrictu Stavangrenſi admotus Norvegiam petiit, & ſeqvente anno viduam qvandam in matrimonium duxit. Antiqvarius Regius anno 1667. conſtituitur, qvo mu-

nere fungebatur ad an. 1670., fed 1682. 23 Septemb. Hiftorici Regii Axiomate mactatus, conjugem amifit 1695. & ad fecunda vota tranfiit 1709. Hic autem Vir, de Hiftoria Danica & inprimis Norvegica optime meritus, morum candore, corporis pariter ac animi fortitudine & in egenos munificentia multum laudatus obiit d. ult. Januarii 1719 an. æt. 83.

(d) Sunt qvi in hoc opere fplendidiorem lingvæ Romanæ Stylum defiderant, fed femet his auctor doctiff. excufat verbis: " In vertendis antiqvis patriæ monumentis nihil nobis fumfimus libertatis, verbis adftrictiffimi, inprimis ubi vel " Regnorum eo tempore ftatus, vel antiqvi ritus " accuratius erant notandi, unde non eft qvod " miretur lector, occurrere paffim in hoc opere " tam res qvam verba foro latiali inufitata, id " enim ipfa res exegit."

(e) Celeberr. hic Vir, & præclaro loco natus 1663 privata inftitutione ufus fuit apud avum maternum Ketillum Jörundi filium, parochum Hvammenfem, & deinde apud avunculum Paulum Ketilli, paftorem Stadaftadenfem, a qvo ablegatus in Scholam Skalholtinam, unde triennio elapfo, ab Olavo Johannis f. Rectore Scholæ anno æt. 20. dimiffus Mufas Havnienfes falutavit, anno autem 1685. in patriam rediit, & exacto hic uno anno Havniam revifit. Anno 1689 in Norvegiam excurrit, (prout mihi conftat & ejus Epiftola Islandico metro fcripta ad *Theodorum Johannis* f. poftmodum Rectorem Scholæ Skalh. dat.

dat. Nidrosiæ 17. Aug. 1689) & variis locis ibidem perlustratis Havniam rediit mense Decembri 1690. Seqvente anno inter primos Collegii Borrichiani alumnos receptus, ubi tres declamationes conscripsit, qvarum tituli sunt. Qvid opportune dicere potuit Annibal amisso in Alpibus oculo? 1691. De Initio Religionis Christianæ in Norvegia ann. 1692. & 1693. & exacto ibidem triennio, peregrinationeqve deinceps in Germaniam biennali finita, invitatur, sed frustra a Svecis, ut Collegio Antiqvitatum adscriberetur. Deinde a Frid. IV. (gl. mem.) 1702. jussus, unacum Paulo Widalino, Matriculam Generalem, sive designationem omnium in patria prædiorum villarumqve, notatis eorum reditibus & prærogativis, conficere: & cum ad finem, perlustrata patria, hoc opus prope modum duxisset, patriæ valedixit 1712. & postqvam in Norvegia per hyemem commorabatur, Havniam venit mense Aprili 1713. Anno præterea 1728. mense Octobri, absumta est incendio Havniensi, orbis literarii maximo cum damno, maxima ejus Bibliothecæ pars, manuscriptis rarissimis, ac qvæ vix ac ne vix qvidem aliunde conqvirentur, superbientis. In matrimonium adscivit 17. Kal. Jun. 1709. viduam opulentam Mechthildam Fischeriam, qva superstite diem supremum obiit 7. Jan. Anno chr. 1730. anno æt. 67. Reliqva clarissimi hujus viri vitæ momenta recenset Doctiss. Alb. Thura in Idea Hist. Lit. Dan. p. 177 180.

§. 11.

Generalem Islandiæ notitiam supeditant seqventia:

Arngrimi Johannis f. *Widalini Brevis Commentarius de Islandia*, qvo Scriptorum variorum errores deteguntur, ac qvorundum conviviis in Islandos occurritur Havn. 1592.

Ejusd. *Crymogæa*, five rerum Islandicarum Libri III. excufi Hamburgi 1609. typis Philippi ab Ohr. 1610 typis Henrici Carftens, 1618. 1620. 1630.

Ejusd. *Anatome Blefkeniana*, qvæ prodiit primum Holis 1612. in forma octava, typis Islandicis communibus, & deinde in 4to. Hamb. 1613.

Ejusd. *Epiftola ad D. Fabricium*, qvæ prodiit Hamb. 1613.

(Huc refer. ejusd. *Apotriben Calumniæ* ed. Hamb. 1622).

Ejusd. *Specimen Islandiæ Hiftoricum*, & *maximam partem Chorographicum*, qvod prodiit Amftelod. 1643.

Gudbrandi Thorlacii, Episcopi Holenfis *Defcriptio Islandiæ*, qvam Ortelio communicavit (conf. Barth. de Scriptis Danorum p. 8. & Wormii Lexic. T. II. p. 654.)

Sigurdi Stephani Rectoris Scholæ Skalholtinæ circa 1590. *Defcriptio Islandiæ Chorographica*, de qva vide Schachtii Grönlandiam cap. 8.

Ottonis Einari & *Brynjulfi Svenonis* Epifcoporum Skalholtenfium *Tractatus de Islandia*, qvi citantur in Refenii Catalogo.

Theodori Thorlacii, poftmodum Epifcopi Skalholtenfis *Differtatio de Islandia*, qvam fub præfidio Straukii habuit Wittebergæ 1666. recufa 1670.

Johan-

Johannis Davidis Gammii Phil. Mag. & Rectoris Nestvedensis *Dissertatio de Introductione Religionis Christianæ in Islandiam* Havn. 1698.

Johannis Thorkillii Rectoris Scholæ Skalholt. *Additamentum*, qvod versioni Danicæ Relationum Havniæ 1748 editarum Joh. Andersonii, Consulis Hamburgensis, de Islandia subjunctum est.

Ejusd. *Eclogarius*, ubi carmine heroico præcipua gentis suæ facta & decora prosеqvitur.

Specialiorem Patriæ historiam illustrant

1. Certarum personarum Biographi, qvales sunt:

a) Ecclesiasticarum.

Arngrimus Johannis, qvi ἀθανασίαν Gudbrandi Episcopi Hol. edidit Havn. 1630.

Biörno Johannis Skardzaaënsis, *Skalholtensium* simul & *Holanorum Episcoporum vitas* illustravit in *Annalibus* suis *Episcopalibus*.

Johannis Egilli pastor Reppholensis, continuator *Hungurvakæ*. libelli perqvam vetusti, sic dicti, qvi de primis Islandiæ Episcopis, usqve ad Thorlacum sanctum agit, varia ad Episcoporum, inprimis Skalholtensium vitas, usqve ad Ottonem Einari, cujus svasu hanc continuationem adornavit, congessit. Vixit supra 1600.

Johannes Haltori, Vir ἱστορικώτατος, Rector Scholæ Skalholtinæ per biennium, pastor Hitardalensis, Diœceseos Skalholtinæ ut & Toparchiæ Myrensis Præpositus, qvi septuagenario major

1730. deceſſit, reliqvis accuratius & plenius utriusqve Diœceſeos Epiſcoporum vitas ſumma induſtria deſcripſit, qvi etiam multa collegit ad vitas Abbatum Islandiæ, ut & ſacerdotum præcipuorum Diœceſeos Skalholtinæ pertinentia. Nec hic ſicco prætereundum pede, qvod vir iſte, jurisprudentia inprimis Eccleſiaſtica clarus, & in negotiis expediendis prudens, nobis reliqverit Filios ſuperſtites Ampliſſ. & Summe Ven. Epiſcopum Skalholtinum *Finnum*, & admodum Venerab. Dn. *Vigfuſum* Curionem Hitardalenſem, & Eccleſiarum in Diſtrictu Borgarfiordenſi occidentali Præpoſitum, qvi in Hiſtoria patriæ, inprimis Eccleſiaſtica conſcribenda, operam jam diù navarunt; unde ſpei dudum conceptæ deſiderioqve literati orbis jam ſatisfeciſſe nullus dubito Ampliſſ. & S. V. F. *Johannæum*, poſtqvam in lucem emiſit Hiſtoriam Islandiæ Eccleſiaſticam, ex hiſtoriis, Annalibus, Legibus Eccleſiaſticis, aliisqve rerum Septentrionalium monumentis, maximam partem hactenus ineditis, congeſtam, opus profecto varia eruditione refertum, & omnibus hiſtoriæ patriæ ſtudioſis commendatiſſimum, cui ſi accedant reliqva qvibus Viri Summi elaborandis invigilat ſolertia, non erit magni momenti, qvod hac in parte deſiderabit hiſtoriæ patriæ, inprimis Eccleſiaſticæ, ſubtilior inveſtigatio. (*)

β)

(*) Concinnavit Vir Ampliſſ. & S. V. Hiſtoriam Monaſticam Islandiæ; Diatriben de legibus Eccleſiaſticis Islan-

β) Politcarum:

1. *Snæbiörnus Torfæus* Annales omnium Præſidum (politicorum ſcilicet) Islandiæ ed. Havn. 1656.

2. *Johannes Haltori*, proxime laudatus, qvi Annales omnium Islandiæ Præfectorum inchoavit, ſed ejus filius & Succeſſor *Vigfuſus Johannæus* adauxit, non vero, ut ipſe fatetur, ad umbilicum perduxit. Idem nunqvam ſine laude nominandus *Joh. Haltori*, Vitas & Seriem Generalis Dicaſterii Scribarum conſcripſit, ut & Nomophylacum Islandiæ.

3. *Sigurdus Biörnonis*, qvartæ Orientalis & Meridionalis Nomophylax qvi obiit 3. Sept. 1723. Seriem Nomophylacum ad ſua tempora contexuit.

4. *Johannes Arnæus*, Choronomus Snæfelsneſenſis, & Redemturæ Stapenſis Conductor, Vitas Præfectorum Islandiæ ab Anno 1262 ad 1683. Ad mortem ſcilicet Henrici Bielke, conſcripſit, inſertis præcipuis, qvæ patriam concernunt, memorabilibus.

5. *Thormodus Torfæus* vitam Snorronis Sturlæi conſcripſiſſe dicitur.

Islandiæ; Tractatus de Decimis Islandorum & de peeudibus ferreis; Epiſtolam de Immunitate Clericorum & Magiſtratus Politici a tributo Bændaſkattur appellato; Recenſum Doctorum Semiſecularium Diœceſeos Skalholtinæ, qvi poſt Reformationem vixerunt &c.

6. *Johannes Erici*, celeb. hiſtorici *Torfæi* vitam, cujus ſpecimen præbet *hiſtoria Seriei* in *Torfæanis* edita, magna ex parte abſolvit Danice edendam.

7. *Biarnii Halthori*, choronomi Hunavatnenſis & Thingeyrenſis monaſterii conductoris vitam, gener ejus *Haltorus Jacobi*, choronomus Strandenſis, Havn. 1777 in 8vo Islandice edidit.

2. *Genealogiarum Scriptores*, inter qvos *Otto Erici* Fitienſis, *Johannes Magnæus* Choronomus Strandenſis, *Sæmundus Arnæus*, *Thorſteinus Magni* filius, Cœnobii Tyckvabajenſis Adminiſtrator, *Magnus Johannis* Ögrenſis, *Theodorus Johannis*, Vir gravis & doctus, Eccleſiaſtes Hitardalenſis, qvi obiit 1670 anno æt. 61. *Johannes Gunnlaugi*, qvi Librum ſuum genealogicum *Joh. Thorlacio* Choronomo Mulenſi d. 9. Octobr. 1684. dedicavit, a *Sigurdo Johannis*, incola Höſkuldſtadenſi in Tractu Breiddal, auctum & emendatum 1691. *Johannes Haltori* proxime laudatus, *Asgeirus Bernhardi*, Parochus Ögrenſis, cæteri deniqve id genus libellorum, qvi Anepigraphi & in patria paſſim ſunt obvii, auctores.

3. *Chorographi* particulares, qvorum in numero ſunt: *Halfdanus Johannis* f. Reykenſis, qvi obiit anno 1707. & tractatum rogatu Celeberr. *Arnæ Magnæi* conſcripſit, ubi Chorographice & politice Tractum Ölveſenſem delineat, qvem imitatus filius ejus *Einarus Halfdani* Paſtor ad Cænobium Kyrkebajenſe, qvi Deſcriptionem Toparchiæ Skaftafellenſis adornavit. *Johannes Thorkillius* antea laudatus, *Chryſorin*, ſive Enarratio-

nem

nem metricam præcipuorum memorabilium, qvæ Toparchiam Gullbringensem concernunt, reliqvit.

4. Qvi manum admoverunt. *Historiæ literariæ* conscribendæ, nobis in Præfamine laudati, qvibus accenseri meretur *Gunnarus Pauli*, Pastor Hiardarholtensis & Toparchiæ Dalensis Præpositus, *Historiæ Typographicæ Islandicæ* auctor, ipo fatente in literis ad me datis.

5. *Historiæ Naturalis* Islandiæ Scriptores, infra memorandi.

6. Particularium eventuum Enarratores, qvo pertinent: *Biörno Johannis* Skardzaënsis, qvi conscripsit *Relationem de prædonum Algerianorum* in Islandiam anno 1627. incursionibus, homicidiis & rapinis, juxta *Olavi Egilli* filii, Pastoris Vestmanneyensis, (cujus itinerarium Danice prodiit anno editionis in meo Exemplari non memorato, sed juxta Wormium Annis 1627. & 1741) & aliorum Captivorum Narrationes, in VI. partes digestam. Qvorum etiam Prædonum incursiones & maleficia, singulari tractatu perseqvitur Nicolaus (nobis Claus) Eyulfi filius judex pedaneus Rangarvallensis. *Runulfus Johannis* & *Snæbiörno Torfæus*, qui lætum Mercurium Homagii Islandici ediderunt Havniæ 1650. Nuperrime, Anno sc. 1772. publici juris fecit Meditationes suas Historico Politicas de mercatura Islandorum & exterarum nationum, qvam cum Islandis exercuerunt, Danice conscriptas, Vir Consultiss. *Joh Olavius*, designatus patriæ suæ borealis & occidentalis Nomophylax, & Societ. Reg. Oecon. Havniensis Membrum correspondens, ut & paulo ante de eadem

materia Epiſtolam prolixam ſcripſit Vir Literatiſſ. *Vigfuſus Johannis*, Paſtor Hitardalenſis. Nec pauca ad hiſtoriam noſtri temporis pertinentia continent *Relationes menſtruæ Islandorum* (Islandſke Maanedsـ Tidender) ab Octobri anni 1774, autore maxima ex parte *Magno Ketilli* Dalenſi choronomo, Hrappſeyæ in 8vo Danice edi cœptæ.

§. 12.

Grænlandiam, qvæ primum ab Islandis occupata fuit, illuſtrarunt, præter Celeberr. *Torfæum* & Dn. *Thorhalli*, de qvibus ſupra, *Arngrimus Johannis Widalinus*, *libro de Grœnlandia*, qvem ex latino transtulit *Einarus Eyulfi*, Pro-prætor Arneſinus, poſtea Snæfellenſis choronomus, ed. Skalh. 1688. *Arngrimus Thorkilli Widalinus*, Doctiſſ. Arngrimi nepos, libro ſingulari, Danice conſcripto, de *Grænlandia antiqva & nova*, Conſilio qvomodo coloniæ in Grænlandiam deduci poſſint, adjecto egit Naſcoviæ 1703. *Biörno Johannis* Skardzaaënſis, cujus ſuperſunt *Annales Grænlandici Islandice* conſcripti, qvibus *Theodorus Thorlacius* notas marginales ubiqve adjecit & Tabulas Geographicas. Ipſe qvoqve *Thorlacius ſitum & Delineationem Grænlandiæ* adornavit 1668, & anno 1666 Mappam Hydrographicam Grænlandiæ, Amſtelodami editam, emendavit. *Chronicon Grönlandiæ*, qvod Carmine Danico prodiit Havniæ 1608, transtulit *Joh. Olavius* (itinerarii ſui, qvod vaſtum volumen eſt, bipartitum, & multa anecdota non ſpernenda continet, auctor, qvi Anno Chr. 1679 ætatis vero ſuæ 87 (a) deceſſit) in lingvam vernaculam. *Gudmundi qvoqve Andreæ Collectanea*

ctanea ad Historiam Grœnlandiæ supereſſe credo in Biblioth. Magnæana.

(a) Compendium hujus itinerarii ipſe confecit in ligata oratione, idemqve dedicavit Aræ Magnæo Isfiordenſium Choronomo; novum vero nuper edere cœpit Ampl. *Schlegelius* in *Collect. Monum* ad Hiſtor. & Antiqvit. Dan.

§. 13.

Inter fictas hiſtorias recentiorum temporum referendas eſſe cenſeo *Modari, Illugonis Kerlingar fibl* dicti, qvam numeris poëticis ſubjectam tantum vidi, *Armanni* & *Thorſteini, Gala* dicti, (confictæ ab *Johanne Joh. f. Thorlacio*) *Grimi Veſtfiordenſis*, *Briami*, *Valfinnæ*, *Finnæ queritantis* Trandi Nomophylacis filiæ, *Mardallæ*, *Himinbiargarum*, *Mali*, *Pejoris*, *Peſſimi* in ligatam Orationem translata, *Ducis Membranacei* (qvæ conficta eſt a *Joh. Bergmanno*, Scholæ Holenſis hypodidaſcalo, & poſtea medicinæ ſtudioſo, qvi obiit 1719) & reliqvos luxuriantium ſeqvioris ævi ingeniorum fœtus. Spuriis iſtis hiſtoriolis addas, ſi libet, Verſiones fictarum ex parte hiſtoriarum, utpote *Argenidis Barclajanæ*, qvam 1694. transtulit *Johannes Einari*, Rector Scholæ Holanæ deſignatus; *Hugonis Skapleri* (a), *Nic. Klimii itineris Subterranei*, interprete *Joh. Olavio*, *Itineris ad Inſulas fortunatas* a *Johanne Thorkillio* translati, *Remundi* & *Melucenæ*, *Barbaræ* & *Agathæ*, qvæ deducta eſt ex Eraſmi uxore μεμψιγαμω; *Joſephi* & *Aſſenathæ*, *Guſtavi Landcronii* & *Bertholdi Angli* per *Thorſteinum Ketilli*, Parochum Hrafnagilenſem, & Diſtrictus Vadlenſis Præpoſitum, qvæ prodierunt Holis 1756, & plura ejusmodi, ut *Marculſi*, *Judæ Proditoris*, *Arnar Ötulſaxa* Sveci, *Friderici* (*Landſtiörnara*) Marſilii & Roſamundæ.

(a) Non

(a) Non obſcure indigitat ipſa hiſtoria auctorem & translatorem, aſſerendo hanc hiſtoriam in æde S. Dionyſii repertam, & deinde in lingvam Vallonicam translatam, qvam poſtea Johannes Comes de Naſſau & Zaarbruchen in matris ſuæ Elizabethæ Lotharingenſis, Comitis de Viedemont, gratiam, in lingvam Germanicam converterit. Hanc porro hiſtoriam Heimsdorffius in Compendium redegit, qvod interpres Islandus ſecutus videtur.

SECTIO IV.

Scripta qvædam Philoſophica, & in ſpecie Phyſica, Medica, Mathematica, Oeconomica & Moralia ſiſtens.

§. I.

Nihil æqve compertum eſt, ac radios optimi Supremiqve Numinis clementia pleniſſimos, qvaslibet terras, etiam remotiſſimas, fovere, benignitatisqve ſuæ aura fotas ad ſummum, qvi obtineri poteſt, felicitatis apicem perducere conari; unde Septentrioni noſtro eadem gratiæ & providentiæ divinæ lueulenta nemo ſani Sincipitis denegaverit fulcimenta, qvi vel cum poëta crediderit.

> Summos poſſe viros & magna exempla daturos
> Vervecum in patria naſci.

Vel paulo accuratius exempla, poſt hominum memoriam, qvæcunqve, tum domeſtica tum exotica, rimari

mari non fuerit dedignatus, qvæ fatis puto edocebunt, non tantum Romæ, non Athenis, non in celeberrimis tantum politioris literaturæ civitatibus, fed inter afperas cautes, horrida nemora, inqve locis frigore aduftis, inveniri ingenia, qvæ vel cum excellentiffimis certare poffent. Non tamen diffitendum plura, & qvæ ætatem ferunt, præftantium ingeniorum monumenta proftare, qvæ natales fuos doctis viris debent, iis regionibus natis & educatis, ubi liberales artes, per multa retro fecula floruerunt, qvam qvæ Septentrioni noftro poffunt adfcribi. Verum inde ad naturalem ingeniorum Stupiditatem aut Sterilitatem conjici aut rite concludi poffe non credo, nifi experientia evictum antea fuerit, ifthæc, qvæ feptem fubjacent trionibus, ingenia, difficilius excoli poffe qvam fub calidiore zona nata, & qvæ, ob diu & feliciter navatam artibus liberalibus operam, fibi tantopere complacent. Actum profecto agerem, lectoremqve viderer damnare, fi vetuftis exemplis ex hiftoria latina etiam & Græca, protrahendis ad fidem dictis conciliandam inhærerem, vel fi in medium proferrem luculenta, & qvibus merito fe jactant tria Septentrionis regna, eruditionis exqvifitiffimæ inventionum & Artium Specimina: Res qvippe in propatulo, nec mei pluribus hanc perorare caufam eft inftituti, telam faltim, qvam exorfus fum, pertexam, ftrictim qvid in præcipuis Philofophiæ partibus populares mei, fi fcripta eorum refpexeris, præftiterint, expofiturus.

§. 2.

Ea eft hujus inprimis & præcedentis feculi felicitas, ut antiqviora tempora, poftqvam univerfa-

lis

lis qvædam barbaries, poſt Imperii occidentalis ruinas, inundavit Europam, longo, ubi ſcientias ſpeculativas conſideras, intervallo poſt ſe relinqvat; ideoqve non mirum, licet ad noſtram memoriam non pervenerint ea diſciplinarum Theoreticarum monumenta, qvæ vel Norvegis vel Islandis ante multa retro ſecula florentibus certo adjudicari qveant. Interim certum eſt, Norvegos poſt ſeculum nonum ad decimum qvartum (iſthoc enim temporis intervallum conſideret neceſſe eſt, qvi ſtatum rei literariæ in Islandia antiqviſſimum monſtrare cupit, cum hac temporum intercapedine & freqventiſſima eſſent Islandorum cum Norvegis commercia, & hi colonias huc ſuas eadem tempeſtate potiſſimum deduxerint) non militari tantum gloria celebres, ſed & humanioribus artibus, nimirum, præter ſtudium Theologiæ & Juris Canonici, pro ratione iſtorum ſeculorum, & prout ex curia Romana & Scholis exoticis diſcere licuit, hiſtoriæ naturali, Medicinæ, Aſtrologiæ Muſicæ, Mechanicæ, Arti qvoqve divinatoriæ, haud levem navaſſe operam, qvod per ſingula hoc loco ex vetuſtis hiſtoriarum monumentis, inprimis Regum Norvegorum Hiſtoriis & *Speculo Regali* (a) probari poſſet, ſi prolixior eſſe vellem, & manum in alienam ſegetem immittere (b). Hinc tamen conſtare poterit, populares meos (qvi ex Norvegia huc migrarunt, & qvorum plurimi clariſſimis imo Regiis natalibus orti erant, ideoqve non tantum politiores mores, ſed prudentiam, viris natalium ſplendore & muniis, qvæ olim in Norvegia obibant, præcipuis dignam artiumqve bonarum notitiam non tantum ſecum transvexere, ſed numeroſæ, qvam ſæpius alebant, familiæ, poſterisqve ſuis, etiam ſeris auſpicato reliqverunt) hoc ævo ſtupidos aut artium ignaros omnino non extitiſſe. Statuen-

tuendum tamen reor, nulla vetuſtiſſimorum Islandorum Scripta (carminum ore fuſorum non habeo hic rationem) ante introductam fidei chriſtianæ profeſſionem extitiſſe, certe nulla ſupereſſe, nec literas, qvibus hodie utimur, ante id tempus, & non niſi characteres Runicos in uſu noſtratibus fuiſſe, qvanqvam in ipſo etiam Ethniciſmo *Ottonem Helgonis* filium (Stiörnu-Odda dictum), *Thorſteinum Surt Ejulfi* filium, *Geſtum Oddleifi*, *Oſvifum Helgonis*, *Thorhallum* Prophetam dictum, & alios plures, qvi tum ſiderum motui determinando, & viciſſitudinibus temporum inde computandis, tum rebus phyſicis, inprimis arti Machaoniæ, qvamvis empiricæ, Mechanicæ, nec non arti, ſine roſa nautica navigandi, & ex Somniis aliisqve rebus naturalibus, interdum licet ſuperſtitioſa, divinandi vacabant, famam ingenii, ſagacitatis & ſolertiæ ad poſteros transmiſiſſe, monumentis fide dignis evinci poteſt. (c)

(a) Prodiit nimirum Speculum Regale Soræ Danorum anno 1768 cum verſione Danica & Latina, hæc qvidem, ſi unum alterumve locum exceperis a me confecta, illa vero â Celeberr. & Conſultiſſ. *Johanne Erici*, tum juris civilis in Eqveſtri Academia Sorana Profeſſore Regio, unacum Diſſertatione Hiſtorico-Literaria de Speculo Regali Doctiſſimi *Johannis Finnæi*, qvam biennio ante in Collegio Elerſiano habuit.

(b) De meritis Norvegorum in rem literariam egit Vir perilluſtris & longe eruditiſſimus ſub nomine Philalethi latens P. F. de Suhm, in Throndhiemſke Samlingers 1 Bind p. 171 ubi Illuſtr. & Erudi-

Eruditiſſimum Virum Gerh. Schönning, Academiæ Soranæ Profeſſ. nunc vero tabularii functioris Præfectum, Fautorem admodum colendum, perhibet multa collegiſſe ad Hiſtoriam Norvegiæ Literariam, qvam publicæ luci exaſciata optimi viri doctrina & in excutiendis Antiqvitatum theſauris rara ſolertia, qvam primum exponat, per ſummam Viri humanitatem & omnes Muſas precari liceat!

(c) Præter ea, qvæ in ſeqventi §. occurrunt, teſtes laudare poſſem complures Islandorum antiqviores hiſtorias, qvorum nominare ſufficiat: *Schedas Arii Polyhiſtoris, Landnáma-bók*, ſive Librum Originum ſive occupationum Islandiæ, *Magnum Islandiæ chronicon, Hiſtorias Niali, Vatnsdalenſium, Reykdalenſium, Johannis S. Laurentii & Gudmundi Epiſcoporum, chronicon Norvegiæ Sturlæanum, Olavi Tryggvini & Olavi ſancti vitas*, plures: Sed farraginem Exemplorum h. l. adducere prohibent anguſti, qvos initio mihi præſcripſeram, limites.

§. 3.

Etſi vero nulla ſcripta philoſophica proferam ab Islandis ante annum milleſimum, qvo publicum chriſtianæ Religionis Exercitium ſolenniter introductum eſt (niſi qvis, qvod etiam per me licet, provocare velit ad carmina qvædam vetuſtiſſima, inter qvæ *Háfa-mál & Volu-Spá*, qvæ ratione antiqvitatis & ſententiarum moralium præcipuum locum ſibi vindicant) ſeqventia tamen ſuperſunt, qvæ inſignem præ ſe ferunt antiqvitatem

tatem, & ante Reformationis tempora a conterraneis meis literis sunt consignata, nimirum.

1. *Blanda*, qvæ ante annum 1263 videtur conscripta, calendarium antiqvissimum, ex observationibus tum exterorum tum Islandorum consutum, qvod & originem nomini dedit (a).

2. *Rimbeigla*, tantum non deperditus liber, qvi nonnulla Astrologica plura Historica continet, prout ex ejus fragmentis colligere potui, integrum enim librum mihi videre nondum contigit. Utrumqve hoc scriptum *Blandam* nempe & *Rimbeiglam* illustriss. *Suhmius*, per *Stephanum Biörnonis* Isl., veteranum Matheseos cultorem, suo sumtu latine verti curavit.

3. *Jola-Scrá*, circa dimidium seculi XIV. conscripta continet prognostica qvædam Astrologica, magni olim habita.

4. *De Algorithmo* exstat Tractatus singularis Islandice, Membranis in Biblioth. Magn. inscriptus, necnon *alter*, agens *de termino Paschali, signis Zodaici, minutionibus, deqve cursu solis & lunæ*, adjectis Tabulis & figuris, ejusdem Bibliothecæ non contemnendum Cimelium (b).

(a) Qvoniam hic libellus rarissimus est, præcipua capitum contenta hic inserere non dubito: Cap. I. agit de auctoribus, qvi primi de computandis annis cogitarunt. II. De numeratione annorum. III. De numeratione mensium majore sive regulari. IV. De longitudine mensium juxta computum Islandorum. V. De origine Epactarum. VI. De motu lunæ. VII. De Epactis. VIII. De nu-

 mero

mero terminorum. IX. De politica Islandorum divisione annorum in hyemem & æstatem. X. De periodo concurrentium. XI. De Dimensione mensium minore. XII. De investigando tempore qvadragesimali. XIII. Explicatur Concurrentium, sive Cycli solaris, natura. XIV. De termino Paschali. XV. De creaturis 7 dierum. XVI. De miraculis, qvæ qvocunqve hebdomadis die contigerunt. XVII. De Cyclo solari & lunari: item de cyclo Magno Paschali, sive periodo Dionysiana. XIIX. de accessu & recessu maris. XIX. placita recenset Ottonis Astrologi Islandi. XX. De motu Solis & Signis Zodiaci. XXI. De anno bissextili. XXII. De cursu lunæ. XXIII. De planetis. XXIV. De Divisione noctium & dierum.

(b) Prætereo Calendaria & computos Ecclesiasticos anepigraphos, qvos permultas in patria sacras ædes possedisse testantur, qvæ hodie supersunt, instrumenta publica, qvæ sacrarum ædium inventaria recensent.

§. 4.

Seculo decimo sexto exacto, imo statim post Reformationis tempora, qvi Philosophicis operam navarunt, nonnullos patria tulit, qvorum, ratione temporis choriphæus esto *Magnus Johannis*, Ögrensis, ex illustri Svalbardensium genere prognatus, Logicam Petri Rami & Aristotelis Dialecticam in vernaculam transtulit, teste *Joh. Aræ* filio, Ecclesiaste Vatnsfiordensi, in prolixo, qvod ei adscribitur, poëmate, qvo nobilem familiam Eggertinam laudavit. Prælectiones in Rami Logicam adornavit Mag. *Brynjulfus Svenonius* Episc.

Epiſc. Skalh. *Paulus* autem *Biörnonis*, Selardalenſium Paſtor, Ontologiam & Pneumatologiam conſcripſiſſe perhibetur. E Recentioribus *Paulus Bernhardi Vidalinus* disſeruit de Methodo Mathematico-Philoſophica Hafn. 1745. Num Philoſophia recte & adæqvate loqvendo facultatis inferioris nomine poſſit appellari, Hafn. 1747. De Voluptatibus innoeuis & licitis Hafn. 1748. De Esſentia conſecutiva *Stephanus Biornonis*, ſtudio Mathematico clarus, Havniæ 1757. diſſeruit; *Finno Thorulfi Muhle* Collegii Valkendorphiani alumnus, poſt Decanus in communitate regia, tandemqve Anno 1776 Göttingæ, ubi regia munificentia ſublevatus literis operam dedit, mortuus, 1770 *de Ente* diſſeruit, 1772 *examen facultatis cognoſcitivæ inferioris & ſuperioris* edidit; annoqve 1773 edere coepit *introductionem in qvædam Theologiæ dogmata ex ethniciſmi latebris educta*, qvam morte præventus non abſolvit. *Joh. Olavius* Hypnoneſ. de *Nihilo* 1758, *Skulo Thorlacius de infinito* 1762, & de *Lingva humana* 1765 disputavit. Hic, exacto curriculo academico Philoſophiæ Magiſter, & Rector Scholæ Coldingenſis, nunc Havnienſis evaſit; ut reliqva Specimina recentiorum academica, qvæ non evolvi, prætercam.

§. 5.

De *Principiis rerum naturalium* in genere, & in ſpecie *de materia*, diſſuerit 1652 *Titus Trebonius* (Torfaſon) (a) Præſide *Runolfo Jonæo*, a Spormanno, Philoſophiæ Magiſtro creato. *Philoſophiæ Naturalis Sciagraphiam* delineavit poëta, muſicus & pictor egregius *Sigurdus Stephani*, Scholæ Skalholtinæ Rector 1591, cujus prior pars agit de geniis, umbris, ſpectris

 larvis

larvis & monstris montanis; posterior de Anthropo-Dæmonibus & essentiis subterraneis: Vidi tantum hujus tractatus fragmenta Msc. *Gislavus Vigfusius*, post longam per Daniam, Germaniam, Belgium & Angliam peregrinationem Rectoratum Scholæ Holensis adiit, a Jano Bircherodio anno 1669. ad supremos in Philosophia honores evectus, obiit 1673. *de geniis & spectris* Tractatum scripsit (Vid. catal. Resen. Biblioth. p. 167) Nec materiam priori ævo adeo delicatam intactam a se relinqvendam voluit *Einarus Gudmundi*, Pastor Stadensis in Reykianeso, qvi de *Alfis* sive Semi-Deis aliqvid compilavit.

De *Definitione & partibus Physices* disseruit 1652. *Thorkillus Arngrimi Widalinus*, medicus insignis & pastor Gardensis, qvi etiam tractatum concinnavit *de Tempore*, cujus etiam inedita supersunt *experimenta medica*, variis in regionibus, qvas juvenis lustrarat, facta, itemqve *Consilia medica* Islandice conscripta. Hujus *Tractatus de thermis Laugarnesensibus* operibus Bartholini medicis insertus est. *De aqvis supra-cœlestibus* & cœlo sidereo laudatus *Titus Trebonius*; & *de Temperamento* Dissertationem edidit Havniæ *Sigurdus Torfæus*. De usu Astronomiæ in medicina disseruit *Stephanus Biörnonis* 1759.

Exstat, ut de ineditis aliqvid adferam, commentarius *Anonymi* cujusdam in Biblioth. Magneana, scriptus 1665. de creatione cæli & terræ, de constitutione hominium, eorum sanitate & infirmitate, deqve mediis a Deo constitutis naturalibus, ad commoda humana dirigendis, adjectis qvibusdam ex Hippocrate. Extat qvoqe ibidem *Anthropognosia & Chiromantia* incerti

certi auctoris. De *Lapidibus*, & inſpecie de gemmis & herbis ex Plinio, Paracelſo, & aliis Tractatum ſervat eadem Bibliotheca, qvi *Johannem Gudmundi* vulgo *doctum*, ſed immerito, vocatum, de qvo plura infra, autorem ſine dubio agnoſcit; itemqvé Anonymi *Colloqvium* inter Magiſtrum & Diſcipulum Islandice conſcriptum, Phyſica inprimis tractans, adductis variis ex Alb. Magno de conſtitutione mulierum. Huc pertinet *Levini Lemnii* Medici Zirizei *Liber de Aſtronomia*, & *ejusdem libri duo* (qvi prodierunt Jenæ 1587) de *Conſtitutione corporis* in lingvam Islandicam verſi, interpretis nomine non indicato. Car. *Rollini Phyſicam* in puerorum gratiam conſcriptam transtulit *Joh. Thorkillius*.

(a) Commendatur *Torfæus* iſte ob inſignes corporis vires & ſtrenuam in Obſidione Havnienſi contra Svecos navatam operam; fuit præterea egregie doctus & diu in Communitate Regia Decanus, poſt Oeconomiæ Skalholtenſi præfectus, obiit vero 28 Decembr. 1668. Huic parentatus eſt Mag. *Joh. Widalinus* Epiſc. Skalh. ſeqventi Epitaphio:

" Maturè nimium, plenis tamen integer annis
" Poſt vix aſcenſi gaudia curta thori
" Hic Titus Hectoreos artus & Achillea membra
" Deſtituit, ſummo reſtituenda die.
" Spiritus in cælo, nomen durabit in orbe,
" Hoc hominum ſtudiis, ille favore Dei.
" Funeream vero qvicunqve accedis ad urnam
" Eximii Caſum commiſerare viri. "

§. 6.

Medicorum in Islandia post Reformationem communiter habetur Choryphæus *Erasmus Wilhelmi*, Rector Scholæ Skalholtinæ ab anno 1567 ad 1571, præbendæ Helgafellensis postea Ecclesiastes, qvem licet natione Danum, hic omittere nolui, cum majorem ætatis suæ partem publicis muneribus functus in patria mea transegerit.

De medicamentis, de variis modis colores producendi, de venæ Sectionibus, deqve herbarum qvarundam & Lapidum virtutibus conscripsit libellum *Otto Ottonis*, Ecclesiastes Reynevallensis, alterumqve Libellum reliqvit de præcipuis medelis humano corpori applicandis, ubi etiam agitur de signis morborum.

Vigfusus Gudbrandi (qvi Academiam Havniensem reliqvit circa 1693. & *de sangvinis & suffocati esu* ibidem disseruit) Henrici Schmidii medicinam Danicam in vernaculam transtulit. Supereſt qvoqve opus medicum ex E. Beinonis & *Brynjulfi Svenonii* Episc. Skalh. libris medicis (a) a *Joh. Thorlacio* Berufiordensi a. 1692 collectum.

Medicinam Islandorum Domesticam adornavit *Johannes Magnæus*, Vir πολυμαθής, Sect. I. §. 7. excitatus. Libellos insuper medicos reliqverunt in patria lingva conscriptos *Magnus Magnæus* Choronomus Isfiordensis, *Theodorus Johannis*, Ecclesiastes Hitardalensis, *Theodorus Jonæ* Pastor Stadastadensis, *Olavus Gudmundi* Ecclesiastes Hrafnagilensis, *Olaus Olai*, Pastor Skalholti Cathedralis, & multo plures. Exstant preterea *Regulæ ad Obstetrices* Rectoris

ris per biennium Scholæ Skalh. *Theodori Thorkilli Widalini*, qvi obiit octogenarius 1742, & *Schola obstetricum* e Danico versa per *Vigfusum Johannis* Pastorem cœtus Hitardalensis, & Vicinorum Præpositum, publici juris facta Holis 1749. ut & binæ *Bernhardi Pauli f.*, Ordinarii in Islandia medici, commentationes practicæ, una *de lue venerea*, altera *de pestis ovillæ remediis*, sed nondum editæ. Ludovici Vives *Introductionem ad Chiromantiam* in vernaculam transtulit *Gisserus Svenonius*, parochus Alftamirensis, Episcopi Brynjulfi Svenonii frater.

Supersunt qvoqve Libelli Msc. non pauci, qvi præter Chiromantiam, Astrologiam qvoqve divinatoriam docere volunt, ut taceam, qvæ de *Phlebotomia*, *balneis* & id genus medendi artibus suis calendariis subjunxit Mag. *Theodorus Thorlacius*, Episcopus Skalh. Nec sua laude defraudandus *Joh. Petri*, Medicinæ Studiosus, qvi Tractatum emisit Danice conscriptum de Scorbuto Islandico, ed. Soræ 1769.

(a) Qvod doctiss. Vir Brynjulfus Svenonius Episc. Skalholtensis, ut omni fere scientiarum generi navaverit operam, ita etiam medicinæ, hinc probari videtur, unde etiam scriptum qvoddam ad Magistratum patriæ politicum edidit 1651. *De embryonis in utero gestandi tempore accuratius determinando*, accitis in suam rem præstantissimorum medicorum testimoniis.

§. 7.

Historiæ Naturalis qvo latius per omne vitæ genus utilitas se extendit, ita ejus excolendæ pro tempo-

um, qvibus vixerunt, ratione, & facultatum modulo, ſtudium Islandis etiam in deliciis fuit, adeo ut rimandis naturæ arcanis operam ſuam apprime collocarint præter Æſculapiorum filios, hinc inde excitatos, *Gislavus Oddi* f. Episcopus Skalholtenſis, *Thorkillus Arngrimi*, Eccleſiaſtes Gardenſis, *Gislavus Magni*, Choronomus Rangarvallenſis, qvi anno ætatis 75. præcedentis vero ſeculi 96. obiit; *Biörno Jonæ Thorlacius*, Curio Gardenſis, qvi fatis ceſſit 1746. ut cæteros taceam, utpote qvi relictis hac in materia lucubrationibus non inclaruerunt: interim ſeqventes nominare ſcriptores, qvi aliqvid ad hiſtoriam naturalem contulerunt, non inconveniens videtur, ubi ſe offert:

1. Petri Nylandtii & Joh. de Hextor, Medicinæ Doctorum, *Theatrum Viventium*, qvod ex Belgico Idiomate in vernaculam transtulit *Einarus Olavi*, Paſtor Stadenſis.

2. *Tractatus Johannis Gudmundi Pictoris*, alias ob magicas forte qvas credebatur exercere artes, ingeniiqve, ſi Dis placet, dexteritatem, *Docti* communiter dicti, agens de natura Islandiæ, balænarum generibus, geniis ſubterraneis & lapillis rarioribus. Obtulit auctor hunc ſuum tractatum anno 1644 ſeptuagenarius Brynjulfo Svenonis Epiſcopo Skalholtino.

3. *Gandreid*, Tractatum ſic ab auctore nominatum, conſcripſit Vir doctus *Johannes Davidis*, præbendarum Ögrenſis & Eyrenſis primum paſtor, deinde ab anno 1639 ad 1642 paſtor cathedralis Skalholtenſis, tandemqve Arnarbælenſis, qvi repentina morte extinctus Anno æt. 70 poſt Chriſtum vero natum 1676 deceſſit.

4. *Ich-*

4. *Ichthyographia Islandica*, qvam ſcribere adgreſſus eſt *Joh. Olavius* Grunnavicenſis ſtudioſus antiqvitatum veteranus.

5. *De Balænis*, occaſione Speculi Regalis, egit 1762 Havniæ Diſſertatione habita *Vigfuſus Johannis*, nunc Toparchiæ Tingeyenſis judex Provincialis.

6. *De Alga Islandiæ Saccharifera* egit peculiari Diſſertatione, cum Havniæ ſtudiorum gratia manſit, *Bernhardus Pauli* filius, hodie medicus patriæ ordinarius, qvem præterea *Ichthyologiam Islandicam* a ſe conſcriptam ad Societatem ſcientiarum Havnienſem transmiſiſſe accepimus.

7. *De montibus Islandiæ chryſtallinis* in Schediasmate ad Chriſt. Müllerum, Islandiæ Præfectum, latine ſcripto, ſed a *Paulo Bernh. f. Vidalino* cum ſupplementis Germanice in *Hamb. Magaz.* 13 B. edito, egit 1695. *Theodorus Thorkilli Widalinus*.

6. *De Colore maris rubicundo* in Sinu Skagafiörd. Tractatum conſcripſit *Joh. Magnæus*, proxime laudatus. Huc etiam referri poſſunt.

9. *Egerhardi Olavii Enarrationes Hiſtoricæ de Islandiæ natura & conſtitutione* formatæ & transformatæ per eruptiones ignis, ed. Havniæ 1749. qvibus ſubjunxit 2. Diſſert. *de ortu & progreſſu ſuperſtitionis circa ignem Islandiæ ſubterraneum*, Havniæ 1751.

10. Laudati *Olavii*, ut & Socii ejus per aliqvot annos *Bernhardi Pauli*, medici hodie Islandiæ ordinarii & experientiſſimi, *Iter per patriam*, Danice conſcriptum, qvod Hiſtoriam Islandiæ naturalem & res

œconomicas potiſſimum tangit, qvod & auſpicii Illuſtriſſimæ Scientiarum Societatis, qvæ Havniæ floret, & Virorum Illuſtriſſ. Joh. Erici & Gerh. Schöningii curis reviſum prodiit duobus Voluminibus Soræ 1772.

11. *Johannis Snorronis* Choronomi Skagafiordenſis, 1771 defuncti, Tractatus Hiſtorico Phyſicus, de *Agricultura Islandorum* priſcis temporibus cum ſucceſſu uſitata, poſtea exoleta, & jam reſtauranda Havniæ 1757.

Colophonis loco huic paragrapho ſubtexere libet, Auctores, qvi de conflagrationibus montium ignivomorum ſcripſerunt, e qvorum numero ſunt: *Thorſteinus Magni*, Cœnobii Tyckabajenſis Adminiſtrator, (cujus Tractatum Nic. Helvaderus 1627 in publicam lucem Havniæ emiſit). *Thorlacus Theodori* (Diſſertatione de conflagratione Heklæ Havniæ 1694 habita ſed in *Hamb. Magaz.* 6 B. Germanice verſa,) Collegii Elerſiani alumnus, poſtea Rector Scholæ Skalholtinæ. *Benedictus Thorſteini* Nomophylax, & *Einarus Halfdani* Eccleſiaſtes Kirkebajenſis, qvos *Haltorus Jacobæus*, Choronomus hodie Strandenſis, in Præfatione ad ſuas *Relationes de montibus Islandiæ ignivomis*, Danice conſcriptas & Havniæ 1757 editas, enumerat. Qvibus addi poſſunt Relationes *Arnæ Thorvardi*, Paſtoris Tingvallenſis & Nomarchiæ Arneſinæ Præpoſiti, & *Ottonis Eynlfi*, Rectoris primum Scholæ Skalholtinæ per ſexennium & ſemi, deinde Paſtoris Holtenſis & Tractus Rangarvallenſis Præpoſiti usqve ad annum emortualem 1702. (qvi in vertendo Jure Norvegorum Aulico ſuppetias Dolmero tulit) *de ultimo incendio Heklæ*, (qvod nimirum contigit 1693 a d. 13. Febr. ad 29. diem menſis Julii). Accedit porro relatio *Johannis Sæmundi*

mundi f. Paſtoris Reykehlidenſis & Schuteſtadenſis de eruptionibus Ignis Subterranei ad lacum *Myvatn* in boreali Islandia 1724. & 1725. Hafniæ 1726 Danice edita, ſed poſtea ab autore triplici appendice tam de eruptionibus annorum 1727 & 1728. qvam de ſitu locorum hujus tractus ignivomorum, continuata & aucta. De Conflagratione Heklæ 1766. Tractatum elegantem in lucem emiſit Doctiſſ. *Joh. Finnæus* Danice conſcriptum & poſt in lingvam Gallicam translatum. Pleniſſimam vero omnium ignis Subterranei in Islandia eruptionum hiſtoriam adornaverat ſupra laudatus *Egerhardus Olavius*, qvam cum autore periiſſe merito dolendum eſt.

§. 8.

Libelli Oeconomiam ſpectantes, præter ea qvæ Præſes Islandiæ *Magnus Gislonis de horticultura* reliqvit, & qvæ *Johannes Grimi filius de eadem* egit, hi fere ſunt, qvi a conterraneis meis vel translati vel conſcripti ſunt:

1) Pauli Julii libellus *de Agricultura*, qvem civitate Islandica donavit *Johannes Egilli*, Scholæ Holenſis per XXVII annos Conrector, nunc paſtor Lauſaſinus.

2) *Olavi Olavii* tractatus de *Horticultura Islandorum*, ed. Havniæ 1770.

3) Ejusdem Tractatus de *Piscatura*, ope retium in Islandia promovenda, Havn. 1771.

4) *Eggerti Olavii Lachanologia Islandica* opusculum certe prelo dignum, cum auctoris ut plurimum nitatur experimentis, ab ipſo in patria factis, ideo-

qve

qve ab ipſius fratre *Magno Olavio*, & affine *Biörnone Haltorio* mox laudando, in publicam lucem emiſſum Havniæ 1774.

5. *Biörnonis Haltori* paſtoris Saulauksdalenſis, & Tractus Bardaſtrandenſis Præpoſiti, Narratio de melioratione horticulturæ in Islandia, qvam toga Danica indutam edi curavit Havniæ 1765 affinis ejus *Magnus Olavius*, Qvartæ Orientalis & Meridionalis deſignatus Nomophylax. Ejusdem vero commentatio ſ. *Colloqvium inter Atlium & Biornem de Oeconomia ruſtica in meliorum ſtatum reducenda* ultimam manum adhuc reqvirit. Verum qvamvis experimenta agriculturæ in patria a familiis qvibusdam Danis & Norvegis Regio juſſu huc ablegatis, & aliqvot annos hic commorantibus, reſtaurandæ male ceſſerint, poſſibilitatem tamen agriculturæ in Islandia exercendæ.

6. Duabus Epiſtolis ad conterraneos, ut eis calcar ſubderet, 1771 Islandice ſcriptis, (qvæ ex Islandica in Danicam lingvam cura *Biörnonis Johannis* filii Pharmacopœi in patria Neſenſis translatæ & editæ Havn. 1772) demonſtravit Doctiſſ. *Johannes Finnæus* nunc Skalh. Epiſcopus deſign.

7. *De Agricultura*, qvomodo in Islandia exerceri poſſit & debeat, egit *Theodorus Thoroddi* fil. cænobii qvondam Reyneſtadenſis Diaconus, nunc Academiæ Havnienſis civis egregius. ib. 1771.

8. Edidit præterea tres Diſſertationes Hiſtorico-Oeconomicas Havniæ 1759 & 1760 de *Commeatu Veterum Islandorum navali Thorſteinus Nicolai*, qvas facult. Theol. in Academia Havnienſi præmio occaſione

occasione Jubilæi 1760 celebrati ex mandato regio distributo dignas censuit. Et qvoniam oves præcipua Oeconomiæ Islandicæ fulcra & adminicula sunt, in Lingvam Islandicam translatæ sunt.

9. Frid. Wilh. Hastferi, Baronis Sveci, in patria jussu Regio, ut oviariam hic institueret, per aliqvot annos commorantis, *Meditationes & judicium de instituenda & rite apud Islandos re oviaria curanda:* prodiit hoc opusculum Havniæ 1761 jussu Collegii Cameralis Regii.

10. *De Lanificio* Libellus, qvi Havniæ prodiit Lingva Islandica, anno non indicato, adscribitur *Skuloni Magnæo*, Qvæstori per Islandiam Regio.

11. *Búalög* s. Tractatum de pretiis rerum & modo operarum ad œconomiam rusticam Islandiæ spectantium, adjecto Senatus consulto *de operariis & circumforaneis* cum sua Præfatione Hrappseyæ 1775 in 8. edidit *Magnus Ketilli* f. Judex Provincialis in Toparchia Dalensi, cui 1776 ibid. in 8vo addidit Commentationem Islandice scriptam *de modo pecorum in pratis*, cum epimetro *de cadaverum eqvinorum utilitate*, qvod argumentum iterata commentatione *de utilitate pastus eqvini in pratis*, nec non *mactationis eqvinæ* ulterius prosecutus est, novaqve tandem lucubratione *de esu carnis eqvinæ & fœnisecii tempore* ab adversariorum qvorundam objectionibus vindicavit. Multa qvoqve ad œconomiam patriæ spectantia, & maxima ex parte a se conscripta, laudatus *Ketilli*, *relationibus menstruis*, ab anno 1774 Hrappseyæ in 8vo Danice editis, inseruit, qvæ ejus opera,

ut

utpote valde neceſſaria, omnibus, qvibus ſalus patriæ curæ eſt, gratiſſima merito eſſe debet.

§. 9.

Nec artes mathematicas ſicco præterierunt pede noſtratium aliqvot, imo, in tantis deliciis fuit, Superioribus inprimis Seculis, & donec qvotannis e Dania transvecta ſunt Calendaria, Computi Eccleſiaſtici & civilis notitia, ut incolarum certis annum computandi regulis innixorum maxima pars hanc artem calleret: Interim more noſtro Scripta qvædam huc facientia, qvæ ætatem ferunt, enumerare liceat. *De adminiculis Simplicibus in Geometria* diſſeruit 1710 *Magnus Aræ* filius, tum Collegii Medicei alumnus, antea vero diſſeruit de *globi terraqvei Zonis;* annis vero 1708 1709 1710. Diſſertationes edidit *de phaſibus Lunæ.* Poſtqvam literis & inprimis Matheſi egregiam navaſſet operam laudatus auctor militiæ nomen dedit, & in architecturæ militaris tribunum promotus, in patria mari ſubmerſus juxta Hrappseyam occubuit 19 Jan. 1728. *Thorlevus Haltori*, qvi Collegii Elerſiani alumnus & Philoſ. Magiſter, poſtea Rector Scholæ Hol. per biennium fuit, & obiit 1714, Diſſertationem, dum Muſis Havnienſis dicto loco litabat, habuit 1706 *de Inventione Aſtronomiæ apud Chaldæos*; aliam edidit ſeqvente anno *de fixarum Sphæra, ſive veterum Aplane*: mox 1708 *de Harmonia cœlorum Pythagorica*, & anno 1709 *de natura & conſtitutione temporum*, anno deniqve 1710 *de Sole retrogrado. Mag. Joh. Davidis Gam* (Rector poſtea Mariæboenſis in Laalandia & deinde Neſtvedenſis in Sælandia, qvi, e materno genere cognomen adſciſcens, obiit ni fallor 1734.) Diſſer-

tationem

tationem conſcripſit *de anno veterum Solari*, a Buſſæo unacum Schedis Arii Polyhiſtoris, ſive *Libro de Islandia*, editam 1733. Inter inedita ipſius opuscula extitit *Simplex Calendarium* ad Stylum recentiorem accommodatum & diſſertatio Epiſtolaris ad *Joh. Arnæum*, Epiſcopum Skalh. *de emendatione Calendarii* agens. De *effectu Cometarum* deſcendentium in Syſtema noſtrum Planetarium diſſeruit *Stephanus Biörnonis* 1758, Rector antea per biennium Scholæ Hol. qvi & aliam edidit Diſſertationem 1760 ſpectantem ad *Phyſicam Cœleſtem*, ibidem probaturus, dari in corporibus cæleſtibus creaturas rationales, montes & aqvas. Calendariorum Scriptores qvam plurimi fuerunt, *tum Anonymi*, qvorum unius prodiit metrice Holis 1602 1611 Alterius forte in ſoluta Oratione 1576. Rariſſima hæc eſſe prorſus exiſtimo, cum ea expiſcari nondum potuerim; Interim Holis edita eſſe, ex aliqvot amicorum literis certior factus ſum: *tum nomine noti*, e qvorum numero ſunt: *Giſlavus Einari*, qvi Havniæ muſis ſedulo operam navans aſtronomiæ cumprimis vacavit. annuisqve faſtis a Clariſſ. Frommio conſtruendis adhibitus. His Studiis pubem Scholaſticam initiaturus, annuis Canonibus Redempturæ, Flögu-Jarder dictæ, Salarii loco acceptis, hypodidaſcalus primum, dein Scholæ Skalholtinæ Rector ad ann. 1661 & deinde Eccleſiaſtes ad annum emortualem 1689 Helgafellenſis. *Theodorus Svenonis* paſtor primum Ogrenſis, qva præbenda relicta, hinc inde ſubſiſtens, obiit 1667. *Otto Ottonis*, paſtor Reynevallenſis, qvi Calendario ſuo annum politicum primorum a culta Islandia, & ad Seculum uſqve XVII repræſentavit ſine lapſu (*P. Widalini* Criſin hic ſeqvor), ſi hoc unum parorama excipias, qvod ad æſtatis menſem tertium qvinqve dies adjecerit, Calenda-

lendarium Julianum secutus, cum veteres adjectitios istos dies qvatuor saltim agnoscant, præterea qvoqve nova qvibusdam mensibus nomina dedit, neglectis veteribus. *Johannes Sigmundi* ad cænobium Tyckvabajense pastor. *Johannes Theodori* pastor Mirkaaensis, qvi egregiam in hoc Studio navavit operam. *Olavus Jonæ* pastor Cathedralis Skalholtinus, deinde Stadensis in Tractu Grunnavik, qvi obiit 1707. *Gislavus Bernhardi* pastor Grindavikensis & Nomarchiæ Kialarnesinæ Præpositus, qvi Octoginta fere annos natus obiit 1 Aug. 1659. *Theodorus Johannis* Ecclesiastes Stadastadensis, & vicinarum Præpositus. *Audun Benedicti* Pastor Borgensis, qvi obiit 1707, &, qvi vel primum merentur locum *Theodorus Thorlacius*, Episc. Skalh. cujus Calendarium cum explicatione, subjunctis qvibusdam Regulis medicis & prognosticis edidit frater ejus *Gislavus Thorlacius* Episc. Hol. 1671; ipse vero Auctor suum hoc Calendarium, sub titulo *Calendarii perpetui* edidit Skalholti 1692; nec non Mag. *Johannes Arnæus*, Rector Scholæ Holensis, & ultimo Episc. Skalh. cujus Calendarium prodiit Holis 1707 *Dactylisinum* vero cum fig. Havn. 1739 & ibidem seqvente anno *Horologium Islandicum* edidit. Horarum autem partitionem fratres *Johannæi Finnus* Episc. Skalholtensis, & *Vigfusus* parochus Hytardalensis & vicinarum ecclesiarum præpositus, ille in suo *Scepticismo*, hic vero in *centone*, nuperrime, simulqve uberrime illustrarunt. Carmine vero Regulas annis computandis inservientes nondum editas concinnarunt *Gudmundus Bergthori* & *Benedictus Johannis* f. pastor Biarnanesensis, sub titulo: *Tröllkonu-Rím*, *Olavus Gudmundi*, pastor Saudanesensis conscripsit versus ad Latini Cisiojani exemplum geminos in lucem emissos. *Cano-*

nes

nes ad Calendarium concinnavit *Paulus Biörnonis* Selardalensis, & *de veterum computo* egit *Paulus Joh. Widalinus* in qvibusdam suis Tractatibus. *Arithmeticam* Islandice conscripsit 1737 *Stephanus Einari*, Ecclesiastes Lausalinus, & Nomarchiæ Tingeyensis Præpositus, (qvi obiit 1754) adhuc meditam.

Brevem qvoqve in *Arithmeticam Introductionem* secundum E. Hattonis Arithmeticam publici juris fecit 1746 *Haltorus Brynjulfi* Episc. Holensis.

De Musica Islandica scripserunt *Theodorus Thorlacius*, Episc. Skalh. & post eum multo uberius *Olaus Brynjulfi*, pastor Gardensis in tractu Akranesino superstes.

§. 10.

Calci hujus Sectionis subtexere libet scripta qvædam Moralia & politica, nimirum *Arngrimi Jonæ Widalini Ideam veri Magistratus*, Havniæ 1589 excusam. *Sigismundi Suevi* Speculum amicitiæ, a *Svenone Simonis* pastore Holtensi per annos 67 & Præposito Toparchiæ Isafiordensis per annos 45 (obiit anno æt. 85 die 10 Decembr. a. chr. 1644) translatum, & *Aræ Magnæo*, Choronomo Isafiordensi, magni illius & in vinea Domini indefessi viri *Gudbrandi Thorlacii* Episc. Hol. genero dedicatum, prodiit Holis 1618. Qvæ *Paulus Widalinus de Restauratione Islandiæ*, *Gistavus Magni*, *Arngrimus Thorkilli Widalinus* & plures idem thema pertractantes scripserunt, in unum redegit, illustravit & auxit Academiæ Soranæ qvondam Decus *Johannes Erici*, in Libro Danice scripto de *Islandiæ Restauratione*, Soræ Danorum 1768 edito

 Hol.

Holbergii Jus Naturæ & gentium civitate Islandica donavit *Johannes Johannis* filius, Choronomus Vadlensis, qvi anno ætatis 80 sed post Chr. n. 1762 obiit (a). *Joh. Georg. Hörningii Biblia Politico-moralia* in vernaculam transtulit *Gudmundus Hugonis*, Verbi Dei apud Vestmanneyenses minister. Superest qvoqve Liber pervetustus, qvi *Dimna* inscribitur (b), sed a qvo translatus sit, æqve mihi incertum, ac num idem sit ac ille in Oriente decantatissimus liber Fabularis *Kelila wa Dimne*, sive *Stephanites* & *Ichnelates*, de qvo Fabricius in Biblioth. Lat. T. 1. p. 595. Prætereo hic versionem Argenidis Barclayanæ, Hartmanni cujusdam (c) decantatissimos μύθȣς, primarias agente partes Vulpecula Reinike, ut in plurimas Lingvas sic & in Islandicam conversos, cujus fragmenta tantum vidi; Oeconomiam Christianam s. tabulam officiorum *Joh. Magnæi*; Dionysii Catonis Disticha moralia a *Joh. Bernhardi* Pastore Prestholensi translata & Holis edita; Frid. Genzkenii Prof. Philos. in Acad. Christ-Albertina manuductionem ad vitam feliciter transigendam a *Joh. Thorkillio* in vernaculam translatam, sed publici juris nondum factam; nec non id genus plura, alibi commemorata. Majoris vero sunt commatis *Meditationes de munificentia Ecclesiastica*, qvas tenui sacrarum in patria ædium & pastorum præsenti conditione inductus Danice conscripsit *Arnas Thorarini* Ecclesiastes Lambastadensis, & edi curavit Havn. 1770. (d)

(a) Vitam optimi viri Soceri & avunculi sui Havniæ 1769 edendam curavit *Sveno Sölvius*, Islandiæ borealis & occidentalis Nomophylax.

(b) Contenta libri ex ipso utcunqve apparent titulo, qvi sic habet: " Veterum Doctorum liber
" Sa-

" Sapientiæ, sive pulchra exempla & gnomæ,
" selectis parabolis illustratæ, in qvibus variarum
" nationum mores et artes & ingenia sistuntur."
Continet liber iste Colloqvium inter Principem qvendam Indum & ejus Magistrum, de Sapientia, & præcautelas contra varias mundi strophas, tum in pace, tum bello, aliisqve negotiis. Conf. *Joh. Finnæi* Dissert. Historico-Literariam de Speculo Regali §. 4. ubi agit de versione libri Humajum Nameh Not. 9.

(c) Qvod Hartmanno cuidam politicum hoc carmen, vel si mavis, Satyram adscripserim, peroratio fabulæ, calci subjecta, me commovit, unde seqventia exscribere licet:

" At qvæ libellus perbrevis
" Juvabit iste non nihil
" Si diligens freqventibus
" Hunc usibus converteris,
" Qvem condidi florentibus
" *Hartmannus* annis integer
" Ad castra natus Norica
" Cum qvattuor natalibus
" Annum videns vigesimum
" Dum Cæsar inferos Getas
" *Secundus* armis fortibus
" *Maximilianus* fulminat
" Hunnosqve bello subjecit."

Re vero penitius excussa, credo meum Hartmannum non esse auctorum sed interpretem forte, qvi Fabulam ex lingva Germanica in Latinam

Jambicam converterit, nec Henricum Alcmarenſem ſubſtituo, ſed potius auctorem Nicolaum Baumannum, ſi fides habenda ſit (& qvidni habeatur donec contrarium probetur?) editioni Roſtochienſi 1650. qvam & in ſuas partes trahit Doctiſſ. Vinc. Placcius in tractatu de Scriptoribus Anonymis detectis cap. XI. p. m. 89.

(d) Hiſtoricis, Satyricis, libellis famoſis, an politicis, annumerandus ſit libellus Islandice conſcriptus, cui Titulus: *Loka-læti* de pſeudo politicismo, ſecundum Eddas & veterum carmina, qvi ante aliqvot annos Havniæ prodiit, anno qvo in lucem emiſſus fuit, & auctore non indicatis, unacum carmine, *Vedur-vite* dicto, penes lectorem judicium eſto. Majore jure libellis politicis ſubjungendi ſunt duo tractatus Danice conſcripti de Mercatura Societatis Danicæ in Islandia, qvorum priorem 1771 in 8. editum, ejus autor *Olaus Olavius ſupplementum ad Philodanum de mercatura Islandica*, poſteriorem vero anno 1772 editum, hujus autor *Skulo Magnæus*, regius in Islandia Qvæſtor, *Reſponſionem & Islandophilum* inſcripſit.

SECTIO V.

De Studio Islandorum Juridico, & Scriptis eo pertinentibus.

MEMBRUM PRIUS.

Scripta exhibet Juridica ante Reformationem Religionis in Islandiam introductam.

§. I.

Ut inter omnes, qvi vel leviter antiqvitates patriæ percurrerunt, constat, qvanta, Coloniis, in Islandiam e Norvegia deductis, eorum fuerit Necessitas, qvi fortissimis consilii prudentiæqve suæ humeris gravissimam Reip. brevi emersuræ molem Atlantis ad instar sustinerent, præsertim si hospites novitii, fugâ libertatem dominandi qværentes, nec non inveteratum omnium seculorum cacoëthes, qvod propriæ culinæ vel gloriolæ ipsum fas & aliena jura litat, spectentur; ita & maxime necessarium agnoverunt ipsimet circumspectiores Insulæ occupatores, alienis non tantum abstinere, sed in qvantum prisca libertas & existimatio sinebant, consulere, proinde curiones, sacris videlicet & profanis præpositos, creare, ad hæc tam natalium splendore, qvam prudentia inprimis civili & æqvitate palmam cæteris dubiam reddentibus, fæminis

ne qvidem exclusis, causas decidendas committere, leges deniqve ad consvetudinem majorum & æqvitatem utcunqve naturalem compositas, ferre. Nec necessitatem ab utilitate, nec legum novitatem ab auctoritate longior procrastinatio diremit (a); Siqvidem sexagesimo circiter anno (qvamvis ante controversias decidendi auctoritas apud capita inprimis provinciarum ubi vis vi non trudebatur, locum habuisse, manifesto deprehendatur) post occupatam Insulam, *Ulfliotus* qvidam Nomophylax, cui suprema nimirum Jurisdictio demandata fuit, aliorum sine dubio, qvi juris periti erant, inprimis vero *Thorlevi*, *Sapientis* dicti, Avunculi sui (teste Landnam. P. IV. p. 137. Arii Sched. p. 3) adjutus opera, publico nomine leges qvasdam civiles introduxit, anno, juxta ann. Skalh. 927, qvæ progressu temporis & pro ratione status ad auctæ videntur & invaluisse, etiam postqvam in unum corpus redactæ & literis consignatæ fuerant a *Bergthoro Rafni* filio Nomophylace ab anno 1116 ad annum 1122; Symbolam viris consultissimis, inter qvos *Hafidus Mari* filius, Bergthori ut putatur frater uterinus, apud qvem *Vígslóde*, (sive ea legum pars, qvæ de homicidiis & criminalibus agit) anno 1118 conscribebatur, & Bergthori Successor *Gudmundus Thorgeiri* filius, qvi Nomophylacis fasces ab anno 1123 ad 1135 gessit, ferentibus, unde ¢natum esse Codicem L. L. Islandicarum, qvi *Grágás* vocatur, & ad annum 1262 (vel 1265) qvo insula subjecta fuit Regibus Norvegiæ, auctoritatem publicam habuisse, unacum Doctiss. *Joh. Magnæo* Hiardarholtensi, in Epistola ad *Paulum Joh. Widalinum* (ubi *Grágás a Gráfygla* recte distingvitur, qvam Olavus Sanctus Norvegiæ Rex composuisse a recentioribus qvibusdam statuitur) existi-

existimat vir Consultissimus *Sveno Sölvius*, in Tyrone suo Juris Islandici pag. 7 qvi & reliqva, qvæ ad historiam L. L. Islandicarum pertinent, strictim persequitur. Uberius vero *Haltorus Einari*, choronomus Tingeyensis, (qvi morbo variolorum confectus anno 1707 obiit) in opere affecto, cujus Titulus est: " Um Islands fyrstu Bygging, oc hversu her hofuz Lög ": Subjecta vero Sceptris Norvegicis patria, Gragasæ successit *Häkonar-bók*, ob nimium rigorem *Järnsida* dicta, qvæ concinnata primo ab Haqvino Rege, sed missa Islandis a Magno Rege, filio & Successore Haqvini anno demum 1273 vel potius 1275 publicis suffragiis recepta, postqvam nonnulla in eodem libro vel limitata vel exempta fuerunt. Seqvitur dictam *Jarnsidam Codex Legum Islandicarum Magni Regis, Legum Emendatoris* dicti, in qvo concinnando Rex usus est opera *Sturlæ Theodori*, Nomophylacis Islandi, & eqvestri honore ornati (teste Historia Gudmundi Episcopi prolixiore) ab Erico Magni filio & Successore Islandis missus 1280, & ab iis receptus seqvente anno, vel juxta nonnullorum computum missus Islandis 1279 receptus vero 1280(b). Codicem hunc Magnæanum, *Jónsbók* vulgo dictum, qvod *Johannes Einari* Nomophylax eundem in patriam adferret, in lingvam Danicam, præter *Anonymum* qvendam, transtulerunt *Snæbiörnus Torfæus* & *Bethius* Nomophylax tandemqve *Egillus Thorhalli*, Verbi Dei præco apud Grönlandos, qvam suam versionem Havniæ 1763. publici juris factam, contra iniqviorem, ut ipsi videbatur, Crisin Doctiss. Viri *Joh. Finnæi*, Novellis Havniensibus literariis Berlingianis insertam, tueri conatur *necessaria defensione* Havniæ 1765 edita, cui & suam addixit operam conterraneus ejusdem & in adornanda hac versio-

ne socius *Magnus Olavius*, nunc Orientalis & Meridionalis Islandiæ Pro-prætor sive Nomophylax designatus, suis observationibus in Danicam hanc Translationem & iteratam, in Novellis Berlingianis contra Defensionem *Thorhallii*, Crisin, editis Havniæ 1765. qvibus laudatus *Finnæus* commentatione sub titulo: **Gengang for alle til Oversætteren af Jonsbogen** respondit, qvam tamen nunqvam edidit.

(a) Post historiarum & poëseos studium Jurisprudentiam Islandis in deliciis potissimum fuisse, artis præstantia commendavit, & utilitas svasit, & necessitas exegit: Imo, hoc ipsum adstruunt priorum & posteriorum temporum monumenta; nam non tantum solenne fuit veteribus, Scholis publicis nondum apertis, filios suos Juris peritis informandos tradere, sed, teste Laxdalensium Historia, statim ac unus alterve Insulæ Tractus habitari cæpit, judicia solenniter exercere, sedesqve sacræ Themidi dicatas, Thornesensem nempe & Kialarnesensem, anteqvam *leges Ulfliotianæ* rogarentur, Insulaqve in certos qvadrantes & minores præfecturas (Godord) dispertita esset, freqventare. Divisa vero Insula in certas præfecturas, stabilitoqve circa annum 930 publico Regimine, tot ne dicam plures, (cum privati insuper homines legum notitia non pauci inclaruerint) jurisconsultos extitisse ni fallor fatebere, qvot Nomophylaces, qvot curiones sive Pontifices, qvot, subseqvens qvos tulit ætas, choronomi, nonnullis ex generalis Dicasterii Assessoribus annumeratis, erant, qvi officio legitime fungendo spartam suam tuebantur; qvinimo contendere posse

posse videor Jurisprudentiæ Studium minus qvam reliqvarum Scientiarum damni barbaro illo ævo, cum superstitio bonas plerasqve artes suppressum iit, passum, & ad præsens tempus eo successu cultum, ut laudem hac in parte meis conterraneis denegare non ausi sint reliqva effrontes & lividi patriæ vitilitigatores. Conf. not. ad *Gunnlaugi Ormstungæ vitam* p. 48-53.

(b) Recensum L. L. Norvegicarum, qvarum maximam partem patria conservavit, statutorum, & privilegiorum hoc loco exhibere a meo instituto alienum est. Interim legi merentur qvæ hac de re *Joh. Erici* autore inserta sunt L. B. Holbergii Danmarkes og Norges geistlige og verdslige Stat ed. 3. p. 476 - 517. & Viri Ampliss. F. Johannæi Hist. Eccl. Per. l. cap. xi. §. 12.

§. 2.

Qvod literatos in hac Epocha attinet, observandum, qvod procul dubio fuerint, ut antea innueram, non pauci, qvi studium civilis prudentiæ coluerint, cum non saltem in historiis laudentur tales, ut *Rafnerus*, Ketilli Hængi filius, *Thorkillus Maane* Thorsteini f., *Arnorus Bernhardi fil. Thorgeirus Liosavatnensis*, *Nialus Thorgeiri*, *Thorhallus Asgrimi*, *Gestus Oddleifi*, *Osvifus Helgonis*, *Hlennus*, *Annosus* dictus, *Skaptius Thoroddi*, *Titus Mosfellensis*, *Bergthorus Rafneri*, *Marcus Skeggius*, *Haflidus Mari*, *Sturla Theodori*, & longo post tempore *Thorsteinus Eyulfi*, *Finnbogus Jonæ*, & alii e Nomophylacum ordine; sed & Regibus, Norvegiæ inprimis

mis, a secretis essent, & gravibus adhibiti negotiis ut *Snorro Sturlæus* Eqves, *Thordus Sighvati*, *Sturla Theodori*, *Gizerus Thorvaldi*, Comes & Satrapa Regius, *Rafnerus Ottonis*, *Thorvardus Thorarini* Eqvites & complures alii, ex historia Islandorum civili eruendi, Scriptis tamen, qvantum scio, juridicis non inclarescentes. Interim præteriri non debent Viri Ecclesiastici ordinis, & inprimis episcopi, primis post introductam Religionem christianam seculis florentes, non tantum pietate & doctrina conspicui, sed Spartam, qvam semel nacti erant, legibus & constitutionibus, qvas ipsimet non rarò ferebant, in iis præsertim casibus, qvi vel non expresse commemorantur, vel omissi forte erant in legibus illis canonicis, qvas per *Grimkelum* Episcopum Olavus Rex Haraldi fil. cognomine Crassus, conscribi curavit, qvæ ab Islandis receptæ (teste laudati Regis Historia) & usqve ad annum 1123 qvadamtenus legis vim habebant, graviter & cordate moderantes. Nam postqvam primus Islandiæ Episcopus inqvilinus *Isleivus* filius Gisseri Albi, in vivis esse desiit, (de cujus cura circa Ministerium Ecclesiasticum dubitare non licet) filius ejus & in Episcope successor *Gisserus*, ad cujus nutum potissima insulæ pars sese composuit, ea, qvæ ad stipem publicam pertinebant ita communi omnium bonorum suffragio, opera *Sæmundi Sigfusii*, ferenteqve suppetias *Marco Skeggi* filio Nomophylace, dispofuit, ut ad huc *statutum ejus de Decimis* solvendis anno 1096. concinnatum, (& tam a *Johannæo* in hist. Eccles. qvam a *Thorkelino* unacum jure ecclesiastico Thorlako-Ketilliano, cum versione latina editum, ac præterea a *Johanne Jacobi* f. choronomo Eyafiordensi Danice translatum & notis illustratum) publicam habeat etiamnum auctori-

auctoritatem, aliudqve circumferatur, cujus habitum fuerit auspiciis, statutum (modo genuinum sit, de qvo tamen viri doctissimi, præ ceteris *Johannes Arnæus* Episcopus Skalholtensis in sua *Decategraphia*, ubi ejus authentiam vindicare conatus est, & *Finnus Johannæus* etiam Skalh. Episcopus in Anatome *Bergthoriana* qva hanc operosa refutavit, non de nihilo disputarunt) *Bergthórs-Statuta* dictum, Bergthori nempe Nomophylacis, ut præsidis aut auctoris nomen præ se ferens, qvod de taxatione fundorum agit. Successit magno huic Præsuli 1118 *Thorlakus Runolfi* filius, qvi unacum *Ketillo Thorsteini* f. Holensis Diœceseos Antistite, svasu Atzeri, sive Össuri Archiepiscopi Lundensis, consilioqve *Sæmundi* Polyhistoris leges Ecclesiasticas, *Christinrettur forni* postea dictas, anno 1123 tulit, qvas utpote primo a fratribus Haqvino & Erico Magni filiis, Bergis anno 1291 Haqvino dein Rege annis 1305. 1309. 1316. & sæpius confirmatas, hodie, vi Edicti Christiani IIdi, Edicta S. Haqvini Regis 1507 confirmantis, obligandi vim habere, ubi subseqventibus legibus non adversantur, contra Instantias Viri Celebr. *Arnæ Magnæi*, Tractatu speciali ostendere voluit Mag. *Johannes Arnæus* Episcopus Skalholtinus; cujus hanc in rem argumenta Celeb. *Finnus Johannæus* in *Diatribe de legibus Ecclesiasticis* Islandiæ, cujus præcipua capita in Hist. Eccles. Isl. migrarunt, plene discussit. Ipsum vero hoc jus Thorlako - Ketillianum *Grimus Joh. Thorkelinus* cum intertpretatione Latina & notis Hafn. 1775 in 8. edidit. Celebre hoc laudatorum Episcoporum *Thorlaci* & *Ketilli* statutum, cum minus adæqvatum aut perfectum esse videretur, qvibusdam, qvos seqvior ætas tulit, reformatione qvadam indigere putabatur, qvocirca *Arnas Thorlaci* filius, gravissimus

mus & maxime strenuus in prædiis, ubi ædes sacræ fuerant erectæ, clericorum administrationi subjiciendis, Præsul Skalholtensis, suasu Johannis Archiepiscopi Nidrosiensis, necessarium existimavit novum iterum L. L. Ecclesiasticarum, opera Rectoris Scholæ Skalholtinæ *Oblaudi* usus, condere Volumen a laudato *A. Magnæo* in lingvam latinam, sed juvene, conversum, Annalibusqve S. V. Pontoppidani Ecclesiasticis insertum, nunc vero, cum *Grimi Joh. Thorkelini* versione notis & alio apparatu in lingva originaria, Hafn. 1777 in 8. editum, qvod cum placitis Ecclesiæ Romanæ, excerptum qvippe ex Decretalibus Pontificiis a Raymundo & Mag. Gothofredo collectis, non minus qvam priores illæ leges, congruum videretur, ad tempora Reformationis doctrinæ Evangelicæ in patria adfectæ, imo deinceps apud judicum nonnullos invaluit, utpote a Magno Smeck Rege Erici filio 1356 confirmatum (a). Introductus postea est *ordo ecclesiæ Nidrosiensis* in Diœcesin Skalholtinam ab ejusdem Episcopo *Johanne Stephanio Krabbe*, conventu ad id habito Skalholti die Martis proximo ante festum Gregorii 1464 prout ex ipso Codice Membranaceo, in Bibliotheca Magnæana asservato liqvet. Nec deesse suo Officio volebant reliqvi sacrorum Antistites circa sacra, reditusqve clericorum & templorum ordinandos, id qvod affatim testantur tum qvorundam historiæ, tum qvæ supersunt Ordinationes & Statuta, inter qvæ prolixius est *Thorlaci Sancti Skriftabod*, constitutio nimirum de Jejuniis, disciplina & pœnis Ecclesiasticis, cujus etiam farinæ est *Statutum Joh. Augmundi*, cognomine sancti, primi Episcopi Holensis, *de pænitentia*, ut cætera transeam, qvorum qvin multa sint deperdita dubium neqvaqvam est,

ut

ut etiam certiſſimum præter Epiſcopos, alios complures, tum clericos, tum (ut loqvi amant) ſeculares ſtudio Juris Civilis, ſtudium qvoqve Juris Canonici adjunxiſſe, cum in Monaſteriis Jus Canonicum interdum doceretur, & idem in Academiis & Scholis exteris, qvo Islandorum non pauci ſtudiorum gratia profecti ſunt, e qvorum numero, qvantum conjectare licet etiam qvidam muniis in patria politicis, ubi poſtliminio redierunt fuerant admoti, traderetur; & præterea ſuperſint in Bibliotheca Magnæana Tractatus aliqvot, lingva Islandica conſcripti, vel in eam translati, qvorum Tituli ſunt: 1. De Caſibus reſervatis. 2. De Celebratione Jejunii qvadrageſimalis. 3. De Officiis Miſſæ. 4. De horis Canonicis & ritibus Eccleſiaſticis. 5. Meſſu-ſkiring, ſive Tractatus ſatis prolixus de ceremoniis miſſæ de feſtis ſanctorum, aqva luſtrali &c. Supereſt deniqve Tractatus in Bibliotheca Magnæana, ubi qvædam Vitia enormia qvibus patria auctoris laboravit, caſtigata proponuntur, temperamentumqve in corradendis bonis Eccleſiaſticis ex jure divino pariter ac Decretalibus oſtenditur. Tractatum hunc cenſeo melioris notæ, & Paulo ante Reformationis tempora exaratum.

(a) Qvid ſtatuendum ſit de legibus Eccleſiaſticis a Thorlaco & Ketillo latis, itemqve de iis, qvas Arnas Epiſcopus Skalholtenſis rogavit, non minus docte qvam ſolerter excutit Ampliſſ. D. Johannœus Hiſt. Eccl. T. I. Per. III. S. II. Cap. I. §. 2. ſeqv.

MEM-

MEMBRUM POSTERIUS.

Scriptores Juridicos post Reformationem exhibet.

§. 3.

Renascentibus Seculo XVI ultra dimidium exacto bonis literis, Studium etiam Jurisprudentiæ magis excultum est; nam præter qvod primi Episcopi Evangelicam Doctrinam amplectentes variis constitutionibus rem Ecclesiasticam emendare studerent (qvorum præcipui *Olavus Hialtius*, primus post Reformationem Episcopus Holensis, qvi Solennia Diei Votivi in sua Diœcesi restituit, & jussu Regis Christiani III. unacum *Arna Gislavi* præfecto Hunavatnensi Jus Canonicum Reformatum conscripsit, auctoritate tamen Regia nondum munitum: Scripsit ad hæc, vel ex peregrina Lingva in Vernaculam transtulit tres Tractatus, qvorum 1. est *Visitatio Ecclesiastica* 32 articulis constans 2. *Profastabók*, de officiis nimirum Præpositorum. 3. *Kalentebók*, in usum Parochorum & Diaconorum, usus hac in re P. Palladii consilus, & forte ejus Visitationis Provincialis Forma, ed. 1555. Illius Successor *Gudbrandus Thorlacius; Gisserus* præterea *Einari*, primus post Reformationem in Diœcesi Skalholtina Episcopus. *Gislavus Johannis*, Episc. Skalholtinus, ejusqve Successor *Otto Einari* (a), qvi Ordinationem Ecclesiarum Daniæ & Norvegiæ a Christiano IV. latam in Vernaculam transtulit, Holis 1635 impressam; & *Brynjulfus Svenonius*): prodierunt viri doctissimi, qvi leges patriæ, inprimis Codicem Magnæum, qvi publicam vidit lucem Nupufelli 1578 & Holis 1580 rogatu

rogatu *Johannis Johannis filii* Borealis & Occidentalis Islandiæ Nomophylacis, deinde Hol. 1707 1709, adjecto Indice & aliqvot Regum Norvegiæ Diplomatibus, certatim explicare ſtuduerunt, qvos, ut & alios qvi Scripta Juridica reliqverunt, ſeqvens Auctorum ſyllabus oſtendet, juxta Alphabeti ordinem diſpoſitus.

Arnas Magnæus, Prof. Havnienſis, non tantùm utrumqve jus Eccleſiaſticum veteris Islandiæ Thorlako-Ketillianum ſcilicet & Arnæanum, ſed præterea etiam haud pauca alia ad Jurisprudentiam Norvegicam pertinentia, & inter Msſta Bartholiniana adhuc obvia, latine vertit.

Arnas Magnæus Bolungarvikenſis, Tractatu ſingulari, qvibus licitum ſit teſtamentum facere ex jure Canonico & Germanico oſtendere conatus eſt.

Arngrimus Jonas (v. Jonæ) Widalinus, Eccleſiaſtes Melſtadenſis, ſcripſit de Succeſſione ab inteſtato.

Arnorus Jonæ, choronomus Borgarfiordenſis, tributum a novis colonis pendendum vulgo *bureÿſu-ſkat* ſingulari commentatione adſtruere conatus, eſt.

Bardus Giſlavi, Collegii Prætoriani ex Nomarchiâ Rangarvallenſi Aſſeſſor, Colonus Vatnsdalenſis, præter *Archæologiam* ſuam *juridicam*, *dubias* CodicisMagnæi (vel Johannæi) *aſſertiones* & ſententias *collegit & explanavit* libello, qvem *Giſlavo Magni* Choronomo Arneſino 26 Jan. 1665 dedicavit.

Bern-

Bernhardus Petri, Choronomus Dalensis, scripsit de successione ab intestato, & archaismos qvosdam juridicos explicavit.

Biörno Johannis Skardzaaënsis, proxime laudati Collegii Assessor, qvi anno ætatis 81 & post natum Christum 1655 obiit, præter Archaismorum Juridicorum explicationem scripsit Tractatus: 1. de Hæreditatibus. 2. Qvantum pupillis destinari debeat ad annuam sustentationem. 3. An prædia divendi debeant gentilitia ad pupillorum sustentationem, thesesqve negantibus qvod prædia in pupilli sustentationem abalienari debeant, 5 Febr. 1642. opposuit. 4. Qvantum necessariis operis destinandum sit ad vitæ sustentationem 1646 contra *Thorsteinum Magnæum*. 5. De augmento Decimarum. 6 De crimine perduellionis, qvod in Codice Magnæo & Diplomatibus Christiani I. & Christ. IV. indigitatur. 7. Commentatus est in Cap. XXIIX. Erfdab ubi agitur de variis donationum & decimarum generibus, qvæ in L. L. Isl. locum habent. 8. Solvit Qvæstionem: num homicida vita privari debeat, multâqve simul pecuniaria in lege definita puniri, &, si pecunia homicidæ non sufficit ad solvendum qvod Regi & subditis debetur, qvomodo insufficiens pecuniæ summa dividi debeat? Supersunt plures Scriptoris hujus non incelebris Tractatus juridici, sed breviores, qvos hac vice prætereo.

Biörno Marti f. orientalis & australis Islandiæ Nomophylax, tractatum de decimis scripsit.

Eina-

Einarus Arnfinni, Diaconus primum Reyneftadenfis, mox ibi & dein Stadæ in Rutafiord paftor, Vir multæ lectionis, Tractatum de promotione pupillorum, nec-non viribus & opibus exhauftorum in fuos confangvineos, a qvibus fuftentandi fint, confcripfit, qvod fuum opusculum *Frammfærflukamb* nominavit. Hujus Viri inftinctu, fi non opera, Tractatum fuum contra Conftitutionem politicorum, pænas ob delicta carnis definientem (*Stóradóm* dictam) fcripfiffe *Gudmundum Andreæ*, præcocis tum & forfan procacis ingenii juvenem, cum ille minifterio facro, ob filiam illegitime fufceptam dum Reyneftadis effet, fubmoveretur, hic vero ibidem Diaconum ageret, funt, qvi exiftimant. Plura de hoc Tractatu & fatis legi poffunt in Refen. Præf. ad Gudm. lex. Isl.

Einarus Erici, fcripfit de fucceffione ab inteftato, cujus opusculum in Biblioth. Magnæana, uti & pleraqve fcripta juridica, qvæ in hac §. occurrunt, extitit.

Finnus Johannæus Epifc. Skalh. fæpius nobis laudatus haud pauca juridici, maxime ecclefiaftici, argumenti, & in his, præter tractatus fupra Sect. III. §. 2. in not. memoratos, *anatomen Bergthorianam*, elaboravit, qvæ tamen nondum edita funt.

Giflavus Haqvini, auftralis & orientalis Islandiæ Nomophylax, fcripfit de Adoptionibus.

Giflavus Johannis Melrackadalenfis, qvi repentina morte poft variam fatorum feriem 1671 occubuit, fcripfit de fucceffione ab inteftato.

Gislavus Ottonis, Episc. Skalh. scripsisse dicitur de Actionibus conjectura tantum nitentibus.

Gislavus Theodori Nomophylax, scripsit de Jure hæreditario contra laudatum *Arngrimum*.

Grimus Jonæ v. Johannis *Thorkelinus*, præter Jura Ecclesiastica Islandiæ superius memorata, legem Hakonis Magni f. de *Successione regia & regni administratione* in Norvegia, cum vers. lat. & lect. varietate Havn. in 8. 1777 edidit, nuperqve Jus criminale Islandorum antiqvum, qvod vulgò *Vígslóde* audit, eodem modo edere cœpit.

Gudbrandus Episcopi *Thorlaci* filius Vallholtensis, Tractatum reliqvit de Adoptionibus.

Gudmundus Haqvini, Rationarius Cathedræ Holanæ, & Cænobii Tingeyrensis postea Conductor, egit 1643. de discrimine multarum, qvæ irrogari debent ei, qvi juramentum purgatorium præstare non potest, & illi, qvi Criminis cujusdam, probatione plena, convincitur.

Haltorus Einari antea laudatus, disseruit: 1. De pratis in alius territorio sitis. 2. De communione bonorum. 3. De variis Donationum Generibus. 4. Notas conscripsit in cap. 6 Kaupab. in Codice Magnæano.

Haltorus Thorbergi, judex Provincialis Skagafiördensis, hujus seculi scriptor, voces qvasdam obscuriores in Codice Magnæano enodavit, sententiasqve difficiles, ibidem occurrentes, excussit.

Johan-

Johannes Arnæus, Episc. Skalh. Decategraphiam, sive Discursum de Decimis, & eas apud Islandos recta solvendi ratione contra P. Joh. Widalinum concinnavit. Scripsit qvoqve de pœna ob profanationem sabbati irroganda; de jure littoris ejectamentorumqve marinorum, & plura forte hujus generis.

Johannes Arnæus, Choronomus hodie Snæfellnesensis, Introductionem historicam de Processu juris Islandici concinnavit, auctam & notis illustratam a Perill. *Joh. Erici* & Soræ 1762 editam.

Johannes Davidis, Pastor præcedente seculo Arnarbælensis, scripsit Nodum Gordium, sive Practicam legalem, Gudmundo Haqvini, Choronomo Hunavatnensi dedicatam, cujus Pars I. agit de fundamentis jurisprudentiæ, Cap. XIV. constans. II. De causarum forensium variis actionibus & Defensionibus, habens Cap. XXII. Pars III. continet Qvæstiones qvasdam nodosas & apophthegmata juris Islandici, Cap XXIV. continens. Opus, si qvid video, varia lectione refertum, sed qvod palæstram & oleum magis sapit, qvam fori moderni postulat usus.

Johannes Erici, in Academia Eqvestri Sorana Juris jam pridem professor, præter supplementa ad Historiam legum Dan. Norv. Islandicarum Holbergianam in Danm. og Norges Stat. ed. 3. edidit in 4. Havniæ 1756 specimen Juridico-Antiqvarium, *de Expositione Infantum, ejusqve apud priscos boreales causis*, nunc denuo ad calcem Vitæ

Gunnlaugi Ormstungæ emendatius & auctius editum, præterea vero integram in universum Jus Danico-Norvegicum introductionem nondum editam in scriniis servat.

Johannes Finnæus 1759 & 1760 cum sua versione & notis Hafn. in 4. edidit *Jus Ecclesiasticum Vicensium*, occasione Jubilæi anni 1760 præmio ab universitate Havn. ornatum; hujus Pars I. per Mag. Magnum Olai Beronium, nunc Biörenstiernam, legationis Polonicæ Secretarium 1761 Upsaliæ recusa est, qva occasione laudatus Finnæus *curas posteriores* in prædictum Jus Eccles. 1762 easdemqve *continuatas* 1765 evulgavit.

Johannes Magnæus, Choronomus, qvem sæpius laudavi, Toparchiæ Strandensis, scripsit 1. De jure Gentilitio. 2. De causarum actionibus tempore qvadragesimali. 3. De Solutione tributorum a Vicariis Choronomorum exigenda. 4. De Donationibus legitimis. 5. De homicidio & multa furiosi. 6. De bonis pupillorum. 7. De donatione propter Nuptias. 8. De hæreditatibus. 9. De conjugio cum muliere inito, cum cujus sorore idem maritus sponsalia celebravit ante conjugii completi solennia defuncta. 10. De more subscribendi contractus nuptiales qvorundam parochorum. 11. De hæreditate ex filio nepotis cum patruo; item de hæredibus gradu tertio conjunctorum. 12. De interdictis retinendæ & recuperandæ possessionis. 13. De Edictorum Regiorum promulgatione. 14. Capita insuper qvædam codicis Magnæani illustravit, iisqve notas adjecit, & plura argumenti juridici usqve ad ann. 1734 elaboravit.

Jonas

Jonas Rugmannus Islandus apud Svecos antiqvarius Greinir ur lögum, s. *varia juris antiqvi fragmenta* in qvibus Arngrimum Jonæ circa successionem ab intestato nimis acerbe perstringit Ups. 1667 in 8vo edidit.

Magnus Johannis, pridem laudati Johannis pater, Choronomus Dalensis (a Magno Johannis, primum Choronomo provinciæ Snæfellensis per 7 & postea Dalensis per 40 annos, ex illustri Svalbardensium stemmate oriundo, distingvendus) scripsit 1674 de hæreditario jure, gradibusqve ibidem occurrentibus Anno 1677. De testibus domesticis. 1680. de actionibus causarum ad primam instantiam, & præterea hujus farinæ non pauca.

Magnus Ketilli, Choronomus Præfecturæ Dalensis, edi curavit Hrappseyæ 1773. Legum Norv. Lib. V. cap. II. qvod de hæreditatibus agit, & juxta Edictum Regium 17. Febr. 1769 in Islandia vim legis habere jussum est, Versione Islandica & notis a se illustratum. Idem qvoqve publici juris fecit Epistolam *Pauli Widalini* ad Joh. Arnæum Episc. Skalh. *de Jure Patronatus* Islandorum, qvam in Lingvam Danicam transtulit, proœmio & Epilogo ornatam; nuperrime vero aggressus est *collectionem constitutionum* a Regibus ex stirpe Oldenburgica Islandis datarum, cujus Tomus I. a Chr. I. ad ann. 1558 Hrappseyæ in 4to 1776 cum annotationibus & indice prodiit.

Oddus Eyulfi, Jus aulicum Norvegiæ transtulit.

Paulus Johannis Widalinus, scripsit Archæologiam Juridicam, de qva superius sect. I.

Steindorus Finni, hæreditatum ſucceſſiva jura carmine demonſtravit.

Stephanus Thorarini diſſertationis de Homicidio ſecundum leges antiqvas Islandiæ Part. I. Havn. 1775 edidit.

Sveno Sölvius, borealis & occidentalis Islandiæ Nomophylax hodiernus, Tyronem Juris, vel ſi mavis, catecheſin jurisprudentiæ Islandicæ concinnavit, luci publicæ expoſitam Havn. 1754. qvi etiam libro ſpeciali Havn. 1776 Danicè in 8vo edito egit de jure criminali.

Thorſteinus Magni, cænobii Tyckvabajenſis qvondam adminiſtrator, Diſſertationes complures adornavit, qvarum præcipuæ ſunt: 1. De ſponſaliis & initi per ſponſalia matrimonii Violatione, 1643. 2. Qvantum ad pupilli annuam ſuſtentationem reqviritur 1644. 3. De Pedariorum Juramento, qvod ratione officii ineundi præſtant. 4. Num probabiles tantum ob rationes ullo modo vita qvis privari debeat 1652. Cui qvæſtioni ſubtexitur criſis de teſtibus domeſticis. 5. De ſubſcriptione & conſenſu conſangvineorum proximorum in tabulis, qvæ continent Translationem dominii prædiorum, inprimis gentiliorum. 6. Chriſtiana & neceſſaria parænesis ad Judices ſuperiores & inferiores in Islandia, ut caute veteres conſtitutiones immutent, & alias, easqve recentiores, iis anteponant, ubi qvædam Deciſiones Nomophylacum & Collegii, qvod Pedariis conſtat, & prætorianum a qvibusdam ſalutatur, ſub examen vocantur. 1654. 7. Analecta Juridica & qvæſtiones dubiæ ventilatæ, auctori-

auctoritate & rogatu Johannis Sigurdi, Nomophylacis conscriptæ. 8. Dubia contra Codicis Magnæi (Jonsbók) varia loca, qvæ luculentius determinari vel emendari deberent. Hoc Opusculum scripsit auctor primum rogatu *Gislavi Haqvini* Nomophylacis Anno 1625, sed auxit & castigavit 1633. Disseruit porro de Successione ab intestato; de forma procedendi in Fimtar-stefna observanda, &c.

(a) Insignis hic præsul natus Anno Christi 1559, patre Einaro Sigurdi excellenti Poëta antea laudato. Jactis in Schola Holana Philologiæ & Theologiæ fundamentis, editisqve præclari ingenii speciminibus, ope Biörnonis Gislavi, sacerdotis Saurbæensis adjutus, Academiam Havniensem salutavit, ubi tantopere in Scientiis humanioribus speciatim Astronomia (Tychonis enim Brahe discipulus fuit) & Philosophia Ramistica, profecit, ut brevi primam in Philosophia Lauream obtineret, Deinceps teste Crymogæa communitatis Regiæ Præpositus, cujus Vicarium potius fuisse existimo. Redux in patriam 1586 Rector Scholæ Holanæ evasit, & consilium subministrante B. Gudbrando a Consistorio Tingvallensi more tum solenni ad Episcopen Skalholtinam 1588. postulatur, & anno seqvente a Paulo Matthiæ Sel. Episc. festo annunc. B. Virg. mitra donatur. Exactis vero in officio Episcopali annis qvadraginta, supremum obiit diem 1630. Qvas adornavit Versiones librorum lingva Danica, ut *Commentariorum in Apocalypsin*, *horti matronarum & Virginum* & Ger-

manica *Nigrini Commentariorum in Apocalypſin* conſcriptorum, forte & *annales Islandicos*, qvos adornare cæpit, & verſionem Commentarii, a D. Aslaco de *Electione æterna* confecti, a filio *Arna* poſtmodum Nomophylace concinnatam, cum ſupellectile ſua libraria, penitus amiſit incendio, qvod ædes Epiſcopales anno 1630 abſumſit.

SECTIO VI.

De Studio Islandorum Theologico, Librisqve Theologicis.

MEMBRUM PRIUS.

Statum Literaturæ Theolog. ante Reformationem sistens.

§. 1.

Hibernis, qvi Islandiam, piscaturæ ut plurimum exercendæ gratia, Sacris Christianorum imbuti primum inhabitabant, ad Magnatum Norvegiæ, gentili adhuc superstitioni addictorum, adventum, qvi Sec. IX contigit, expulsis, Religio simul Christiana indigno aliqvantisper multata dici posset exilio, qvamvis existerent, sed numero admodum pauci, tum qvi avitæ pertæsi Idololatriæ summum hujus mundi architectum juxta rationis placita colebant, tum qvibus janua fidei in exteris regionibus aperta fuit, globo ethnicorum tantum non oppressi: Unde gravis Ethnicismi caligo ad annum Christi fere millesimum regnavit, qvo communi suffragio & legibus introducta fuit Religio christiana, suppetias, non sine admirando divinæ providentiæ documento, ferente gentilium Sacris tum addicto Thorgeiro Liosvatnensium Præfecto, sed

tantæ probitatis, candoris ac Juſtitiæ viro, ut non modo Ethnici, ſed ipſi Chriſtiani non lites tantum ad eum deferrent circa publicum novæ Religionis Exercitium dirimendas, ſed in ejus Sententia, Religioni Chriſtianæ favorabili, pars utraqve acqvieſceret (a). Interea, præſertim vero ab anno poſt n. Chr. 980 ad 1040 tum e Germania aut Italia, procurante (ut conjectare licet) Metropolitano Bremenſi, vi Bullarum Gregorii IV. d. 835 & Sergii d. 843 itemqve Edicti Ludovici Pii, d. Aqvisgrani Idibus Maji 834 (b) tum e Norvegia, Regis Olavi Tryggvini auſpiciis, complures in Islandiam Miſſionarii, qvi præcones Chriſtianæ fidei agerent, ſunt ablegati, inter qvos Fridericus Epiſcopus, natione Germanus, Thangbrandus, qvi Vilbaldi Comitis Bremenſis filius dicitur; e noſtratibus autem Thorvaldus Kodrani f. primus Islandorum, qvi hoc opus in ſe libere & ſponte ſuſcepit, Hialtius Skeggonis, Steſnerus Thorgilſi, Giſſerus Albus, & alii, qvos Codex Flateyenſis enumerat. Verum cum iſti plantandæ & propagandæ Religioni, partim ob ſuſpecta qvorundam contradicentium molimina motusqve, partim ob regionum, qvas peragrarent, nimis diſſitarum pericula, minus pares eſſent, cumqve Inqvilini, Gentilismum nuper ejurantes, & in doctrina Chriſtiana νεόφυθοι regimini Eccleſiæ admoveri tuto neqvirent, finitima qvoqve regna majore, qvam ut exinde miniſtri Eccleſiarum commode poſſent evocari, diſtantia laborarent: Filium ſuum Isleifum, anno 1006 natum, Giſſerus Albus ſtudiorum gratia Erfordiam in Weſtfalia miſit, ubi aliqvantisper commoratus poſtlimino rediit, in Epiſcopum totius Islandiæ electus, a Pontifice Romano confirmatus, & Roma, qvam petiit relicta, ab Adalberto Archiepiſcopo Bremenſi

menſi 1056 mitra donatus, ſedem Epiſcopalem Skalholti, qvod ejus prædium hæreditarium erat, conſtituit, Scholamqve publicam ibidem aperuit. Complures etiam Islandi, Studii ut plurimum Theologici excolendi gratia, peregrinas Scholas luſtrarunt, in qvibus *Gizerus* Isleifi Epiſcopi filius & Succeſſor, Paulus Johannis, Magni Regis Nudipedis e filia nepos, qvi in Anglia pulverem Scholaſticum trivit, Thorlacus Sanctus, Johannes Augmundi, Sæmundus Sigfuſius & alii complures. Videtur itaqve Studium Religionis in hac inſula ſtabiliendæ, primorum præſertim Epiſcoporum temporibus, plurimorum animos occupaſſe, adeo ut vel privati, qvi fortunis lautioribus eminebant viri, ædificia partim ſacra fundarent, reditus iis & parochos addentes, partim Scholas, in qvibus rudimenta lingvæ latinæ & Muſica docebantur, privatas aperirent, qvin & filios ſuos humanioribus artibus & ſpeciatim Studio Theologico excolendos ablegare honorificum ſibi exiſtimarent.

(a) Vid. Joh. Hiſt. Eccl. Per. I. cap. IX. §. 5. 6. 7. 8.

(b) In horum Diplomatum γνησιότητα inqvirere non vacat, qvæ apud Pontoppidanum in Annal. Diplom. & alios exiſtunt. Videſis Molleri Iſag. ad Hiſt. Cherſ. Cimbr. P. II. p. 52 ipſis vero Islandiæ nomen a recentiore qvodam intruſum exiſtimo.

§. 2.

Ab introducta tamen Religione Chriſtiana uſqve ad ejusdem, Seculo circiter XVI. ad medium perducto,

Refor-

Reformationem, ob rerum Theologicarum peritiam celebritatem nominis consecutum fuisse Islandorum neminem observavi. Primorum eqvidem Episcoporum nostratium temporibus simplicior, &, si nonnullos fidei articulos excipias, purior tradendi doctrinam cælestem ratio locum obtinuisse videtur, qva & tempestate humaniores literæ solerter excolebantur, & viri, qvos grata Polyhistorum axiomate mactavit antiqvitas, etiamnum celebres florebant; verum postqvam *Thorlacus* Skalholtensium Præsul, *Thorhalli filius*, sanctorum postea gregi adscriptus, & *Gudmundus Aræ filius*, Episcopus Holensis, (qvi ob persecutiones, qvibus illum ceu πρόσωπον σκυθρώπον & bonorum publicorum decoctorem nonnulli patriæ Magnates petebant, & vitæ austeritatem a Romano Pontifice inter Divos relatus fuisset, ni inexspectata circa Reformationis tempora intervenerint obstacula) juris ille Pontificii, qvod apud exteros didicerat, admodum peritus, hic vero maxime superstitiosus, fasces Episcopales capessebant, vera Religio erroribus curiæ Romanæ latius per suos clientes disseminatis & firmatis, plurimum indies cepit detrimenti. Jacebant qvippe justa sanctioris disciplinæ studia tantum non neglecta, dum eorum loco late serpebat, animosqve hominum magis magisqve fascinabat superstitionis & ἐθελοθρησκείας, culinis Monachorum adblandientis, contagio, qvam tandem, ceu vara vibiam, bonarum artium contemptus, qvi in impietatem, & qvæ divina humanaqve miscerent, deliria, videtur exisse, seqvebatur. Ideoqve præter *Dialogos Gregorii Magni* de miraculis Sanctorum in lingvam Islandicam versos, Historias & legendas Sanctorum partim a popularibus meis in vernaculam translatas, partim conscriptas & compilatas (a),

(a), carmina itidem varia insigni sæpe artificio confecta vix alicujus commatis qvidqvam reperies, præter *Stiórn*, sc. libros historicos Veteris Testamenti, cum variis Glossis & fabulis adspersis, qvos ex scholastica Historia (Petri forte Comestoris) & speculo Historiali excerpsit ignotus mihi auctor, qvod opus a *Brandò Johannis* filio Episcopo Holensi, jussu Magni Haqvini Regis fil. concinnè translatum est (b) Num vero differat versio ista a Bibliis Islandicis, vel si mavis, lingva Norvegica, ut Titulus Libri præ se tulit, scriptis, qvod Cathedræ Holensis Cimelium fuit 1525 teste *Sigurdi Regesto* membranaceo, vel ejusdem farinæ sit, ac qvæ, juxta Relationem Undalini in Descriptione Norvegiæ Ericus Brochenhusius lingva Islandica ante 300 annos scripta viderat, Ædipus, non ego, solverit. Mentionem porro facit dictum Regestum fol. 6 & 7. ad ann. 1500. pericoparum evangelicarum libri *á Norrænú* ɔ: Lingva Norvegica scripti, itemqve Psalterii Islandici. Non tamen silentio præterire libet Tractatus qvosdam incertæ ætatis huc pertinentes, qvi Islandice in instructissima Bibliotheca Magnæana, juxta ejusdem Catalogum supersunt, nimirum: 1. De Vanitate rerum humanarum. 2. De septem diebus septimanæ sermones sacri. 3. De templo Salomoneo. 4. De Tabernaculo fœderis. 5. De Psalterio Davidis. 6. De Cerimoniis Ecclesiæ. 7. De septem peccatis capitalibus. 8. Brevis expositio orationis Dominicæ. 9. Alqvini ad Widonem literæ consolatoriæ. Postremo commemorandus nobis est *Johannes Aræ filius*, Episcoporum Holensium Pontificiæ Religioni addictorum ultimus, qvi interfectus Skalholti d. VII. Iduum Nov. die nimirum Veneris ante festum Martini proximo, (hoc expressis verbis innuente *Regesto* dicti

Præ-

Præſulis filii *Sigurdi* Membranaceo fol. 6. a.) anno Chriſti 1550, cujus beneficio officina Typographica, qvam moderabatur *Johannes Matthiæ*, paſtor Svecus, delata fuit Holas, ſedem Epiſcopalem, anno circiter 1531 ubi, non vero Breidabolſtadis, (qvò deinceps Typographeum avectum eſt) ut qvibusdam conjectare placuit, impreſſum eſt 1534. *Breviarium Nidroſienſe*, nonnullis ſanctorum legendis, ut puto, adauctum, cujus xvii. Exemplaria chartacea *Johannes Aræ* f. templo Cathedrali Holenſi reliqvit, qvod an idem ſit ac manuale paſtorum, qvod qvidam volunt ab eo editum, nec ne, expiſcari non potui (c).

(a) Non contemnendam hiſtoriarum de Sanctis & librorum Sacri argumenti, (Speciatim vero eorum, qvi in Sacris peragendis & officiis Miſſæ adhiberi ſolebant, & nomine *Hymnariorum*, *Gradualium per ordinem & per uſum*, *Kyrialium*, *Seqventiariorum*, *Exitualium* (Burtſaungva bækur) *Reſponſoriorum*, *Antiphonariorum*, *Suffragiorum*, *Sermocinariorum*, *Collectanariorum Proceſſionalium*, *Pſalteriorum* &c. venire ſolent) congeriem ædibus in patria ſacris libelli, bona eorum recenſentes, attribuunt. Sic, ut unicum exemplum adferam, templo Mödruvallenſi in Hörgàrdal ab Olavo Rögnvaldino Epiſcopo adſcribuntur ſeqventes libri: *Latini:* Inſtitutiones ordinum Canonicorum Regularium libris tribus; Auguſtinus de conſenſu iv. Evangeliſtarum; Græciſmus; Rationale divinorum officiorum; Textus qvinqve librorum Decretalium; Magiſtri Godfredi Gloſſa Decretalium; caſus qvinqve librorum Decretalium; Summula Raymundi; Sermones

mones Auguſtini per annum; Homiliæ Gregorii ab Adventu ad Dominicam 1 poſt Pentecoſten; Qvatuor libri Dialogorum in duobus Volumin; Pars dextræ partis Brito; vitæ & paſſiones plurimorum Sanctorum; vitæ patrum; Iſidorus de Summo bono; Minus Volumen Priſciani; Vita Tobiæ; Paſtorale Gregorii; Evangelia Matthæi; Vita Sancti Martini; Enchiridion Auguſtini; Synonyma Iſidori; Homiliæ qvædam Gregorii; Expoſitio ſuper Cantica Canticorum, & multi præterea libri Mſc. admodum vetuſti (teſte laudato Epiſcopo, qvi eos non enumerat). *Islandici:* Liber Miraculorum B. Virginis; Hiſtoria Auguſtini; Hiſtoriæ Apoſtolorum; Hiſtoria Martini, Vincentii, Fabiani & Sebaſtiani, Ceciliæ, Benedicti, Silveſtri, Thorlaci; hæ uno volumine. Hiſtoria crucis, Stephani, Thomæ Archiepiſcopi, Antonii, uno volumine. In alio adhuc volumine Hiſt. Laurentii, Theodori, Johannis & Pauli, Magni Orcadenſium comitis, Hallvardi, Mariæ Magdalenæ, Marthæ; Geſta Salvatoris, hiſtoria Septem dormientium, iterata paſſio Chriſti; Hiſtoria Barbaræ, Lucæ, S. Agnetis, S. Julianæ, Euſtachæ & Martini; in alio Volumine, Hiſtoria Lamberti, Leodegarii, S. Catharinæ, Luciæ: Porro in alio Codice, Dialogi, Hiſtoria Baſilii, Johannis Epiſcopi Holenſis; Præterea Hiſtoria S. Brigittæ, Urſulæ, Euphemiæ, Juſtini, Eugeniæ, Caroli Magni, cum omnibus ſuis hiſtoriis ſpecialibus eam illuſtrantibus; Olavi Regis Tryggvini egregium Exemplar; Olavi S. Haraldi filii; liber regum (forte chronicon Sturlæi) incipit a Magno Olavi usqve ad Sverrerem. Liber

Gene-

Genesis & liber Maccabæorum, in uno Volum. in alio autem erant Historia Rolfi Krakii, Skiöldungorum, Volsungorum, Lausi, Geiraldi, Damustæ, Rolfi Gothrici f. Magnum Islandiæ chronicon (Sturlunga), Annales boni & antiqvi; vitæ patrum. Hæc ex authentica Olavi Visitatione.

(b) Vid. Illustriss. & S. V. Ludovici Harboe Nachricht von der Isländischen Bibel-Historie in Dän. Biblioth. 8 Stück p. 4. & seqv. & ejusdem Første Afhandling om Reformationen i Island in actis Societ. Scient. Havn. Tom. V. p. 225. Sunt qvi Librum hunc cum Petri Comestoris Historia Scholastica confundunt, sed minus accurate, cum auctor noster Comestoris opus æqve ac speculum Historiale, non suppressis aliorum auctorum, ut Josephi, Hieronymi, Berosi, Augustini & Isidori &c. qvorum sententias operi immiscet, nominibus, passim alleget. Brandum vero, nondum Abbatem factum, hanc Versionem in se suscepisse, rogatu Magni Norvegiæ Principis hæreditarii, sed postea Regis, tum Exemplar qvod ad manus habeo, tum chronotaxis omnino svadent.

(c) Titulum libri apponere libet, Tantum non penitus deperditi: " Breviaria ad usum ritumqve " Sacrosanctæ Ecclesiæ Holensis, jam prius im-" pressa impensis ac mandatis insignibus reve-" rendi in Christo Patris & Domini, Dn. Johan-" Arneri, ejusdem Ecclesiæ Episcopi, felix fau-" stumqve adepta sunt exordium. „ Ad *finem libri*

bri: " Opus iſtud impenſis ac induſtria plurimum
" Reverendi in Chriſto patris Dn. Johannis Ar-
" neri ſacroſanctæ Holenſis Eccleſie Epiſcopi fau-
" ſtum felicemqve ſortitum eſt exitum finemqve
" optatum. In reſidentia ſua impreſſum atqve
" adauctum Kalendas Maji, anno ſalutis M. D.
" XXXIIII. "

MEMBRUM POSTERIUS.

De Scriptis Islandorum poſt Reformationem Theologicis.

§. 3.

Ut Hiſtoriam Reformationis Doctrinæ Chriſtianæ auſpiciis vere chriſtiani Regis Chriſt. III. in Islandiam introductæ, omnium, qvot ſcio, pleniſſime expoſuit Vir Per-illuſtriſſ. & Ampliſſ. Dn. Ludovicus Harboe, Selandiæ hodie Epiſcopus, Generalis Eccleſiarum per utrumqve Regum Dan. & Norv. Inſpector, &c. ita notitiam librorum Theologicorum, typis inprimis poſt Reformationem exſcriptorum, aliqvot Tractatibus Bibliothecæ Danicæ inſertis data opera ſuppeditavit. Qvamvis itaqve B. Lectorem ad eos ablegare jure qvodam poſſim; Nihilominus, ne grandem qvendam in Indice hoc librum Theologicorum conficiendo hiatum committere videar, ſtrictiſſime jam exſeqvi libet, tum libros pleroſqve, qvos laudatus Epiſcopus recenſet, tum etiam cæteros, qvos α) vel lucem adſpexiſſe conſtat publicam, vel qvi β) inter ἀνέκδοτα referri debent.

§. 4.

Qvemadmodum Deus Ter O. M. vult omnium hominum ſalutem, ejusqve obtinendæ larga manu ſuppeditavit media; ſic etiam ſcrutinium ſcripturarum divina oracula non ſemel inculcant, & conſeqventer ad lectionem & juſtam meditationem verbi divini, fortiſſimis additis motivis, ut ordine ſalutis penitius agnito, ad voluntatis divinæ amuſſim, & non frivola τῶν ἀνθρώπων ἐντάλματα, rationes ſuæ vitæ dirigant mortales, exhortantur. Hinc laudabilem in ſacris Pandectis, ut infallibili fidei & morum Canone, exponendis, & in publicam lucem qvam plurimorum bono protrahendis collocarunt operam complures in patria viri; qvorum reſpectu temporis agmen ducat *Otto Gotſkalki*, Islandiæ Borealis & occidentalis Nomophylax, qvi Codicem *Novi Teſtamenti* in lingvam Islandicam transtulit & Roiskildiæ 1540 excudi curavit, cui etiam tribuitur, præter verſionem hiſtoriæ paſſionis Domini & Deſolationis Hieroſolymitanæ, Expoſitio concionum D. Juſti Jonæ in librum Jonæ Prophetæ & Eſaiæ Cap. LIII. cum Commentario, qvi libri Havniæ impreſſi 1557 & 1558. cura *Gislavi Jonæ*, Epiſc. Skalh. Seqvuntur ratione temporis qvo edita ſunt, *Proverbia Salomonis* per *Gizerum Einari*, primum poſt Reformationem Diœceſeos Skalholtinæ Epiſcopum, in vernaculam translata, & ab incomparabili Viro Gudbrando Thorlacio (a) Holis 1580 edita; necnon *liber Syracidis*, a *Gislavo Johannis*, Epiſc. Skalh. verſus, Holis eodem anno, (vel, ut aliis placet 1589) publici juris factus. Eidem *Gislavo Johannis filio* verſio librorum Propheticorum plerorumqve ad Germanicam Lutheri adornata tribuitur, qvam tamen verſionem non vidi, nec typorum

bene-

beneficio publici juris facta est (b). Prodierunt deinde integra Biblia in fol. c. fig. Holis 1584 typis nitidissimis excusa, sumptibus & auspiciis laudati *Gudbrandi Thorlacii*, qvi eadem, Beati Lutheri versionem maxima ex pate secutus, felici successu transtulit. Edidit postea, anno nimirum 1609 in forma 8. ladatus *Gudbrandus* Codicem N. T. parum a proxima editione differentem; Paulo verum ante, nimirum 1606 Hymnos Davidis Pœnitentiales. Propheta Jonas, unacum dictis consolatoriis e Prophetis collectis, ejusdem Episcopi cura prodiit Holis 1614 (al. 1612). Successor *Gudbrandi*, avi materni vestigia pressurus, *Thorlacus Skulonius*, integra Biblia, qvæ cum versione Danica, auspiciis Christ. IV. adornata & ipsius Lutheri contulit, civitate Islandica donavit, & Typographi *Haltori Asmundi* filii ut plurimum opera usus Holis 1644 in fol. publicavit, qvi etiam rogatu Viri consultissimi *Thorlevi Magnæi*, Hlidarendensis, e Typographeo Holensi Psalterium Davidis 1647 vernacula donatum emisit, qvod & postea ibidem prodiit 1675. Psalterium Davidis abbreviatum (sive, Sententiæ consolatoriæ e Psalmis Davidis collectæ ab *Arngrimo Jonæ* Ecclesiaste Melstadensi, in eorum gratiam, qvi angoribus conscientiæ inqvietantur) prodiit Holis 1597 & 1671, qvo & pertinet Fons Vitæ, sive Sententiæ Consolatoriæ e S. Scriptura collectæ, ed. Holis 1598. Harmoniam IV. Evangelistarum a Chemnitio, Lysero & Gerhardo concinnatam, edidit Islandice Skalh. 1687 *Theodorus Thorlaci Skulonis* filius, Episcopus Skalh. figuris hinc illinc interspersis, cui adjecta est historia Excidii Hierosolymitani sub Vespasiano, sæpius ante, nimirum Havniæ 1558 & Holis 1596 & 1617 recusa cum nonnullis aliis. Prodiit iterum hic liber Holis

1749. cura *Haltori Brynjulfi* Epifcopi Hol. Penultima prodiit Holis 1728 integri facri codicis editio in fol. cura, ftudio & impenfis *Stenonis Jonæ*, Epifc. Hol. ultima in 4 maj. Havniæ anno 1747 typis & impenfis Orphanotrophii Regii, qvod & præcedente anno Codicem N. T. Islandice in 12. publici juris fecit.

His adjungo: 1. *Summaria Bibliorum* Viti Theodori in vernaculam translata, qvorum pars prior, nempe fummaria in N. T. prodiit Nupufelli 1589. pofterior vero ibidem 1591 qvæ breves continet in Vetus Teft. Commentarios. Prodierunt deinde *Summaria* in Prophetas & Nov. Teft. Hol. 1602. Item Index Biblicus, locorum ad inftar Communium, eodem anno, editioni Bibliorum Gudbrandinæ adaptatus.

2. Joh. Laffenii *Nucleum Biblicum*, interprete, *Johanne Thorkillio*, ed. Hol. 1744 argumentis cujusqve libri ad calcem conjectis, qvo & pertinent Joach. Fr. Horfteri Excerpta Hiftoriarum Biblicarum, qvæ in Lingvam patriam vertere conatus eft *Asmundus Einari*, edita Havn. 1774 limatiora vero & acceffionibus haud paucis aucta & continuata Holis 1776 in 12mo.

3. *Dominicalia*, qvæ, præter Orationes publicas, textus Evangelicos & Epiftolicos in Templis folenniter recitandos, complectuntur; qvorum primum aufpiciis *Olavi Hialtonis* Epifc. Hol. prodiit in 4to Breidabolftadis 1562 dein in forma Octavi annis 1581. 1599. 1609. in forma vero duodecimi annis 1617. 1658. 1670. 1686. 1706 1725. 1750 in qvibus Hiftoria Paffionis & Refurrectionis Chrifti ex

qvatuor

qvatuor Evangeliſtis collecta reperitur; Prodiit autem eadem incipiens ab Hiſtoria Lazari a Chriſto excitati Joh. XI. unacum ſuccinctis Explicationibus itemqve Præfationibus P. Palladii & Joh. Bugenhagii, necnon, cujus ante mentionem feci, Hiſtoria Deſtructionis urbis Hieroſolymarum, interprete ni fallor *Ottone Gottſkalki*, Promotore vero *Gislavo Johannis* Epiſc. Skalholt. ex officina Joh. Wingarten anno 1558 in 4. ſ. octavo majori. Lucem deniqve publicam adſpexit:

4. *Paſſionale Vetus*, ſive Hiſtoriæ ſelectiores tum veteris tum Novi Teſt. inprimis qvæ vitam & paſſionem Salvatoris noſtri ſpectant, qvibus adjunctæ figuræ & Præfatiunculæ reſpondent, ed. a *Gudbrando Thorlacio* in 8. anno 1598. ſed hic libellus recuſus eſt 1695 ſub Titulo: „ *Schematographia Sacra* " Skalholti a *Theodoro Thorlacio*.

Præter libros V. T. nonnullos ab *Ottone Gottſkalki* (teſte Epiſc. *Gudbrando* in Præfamine ad ſummaria Viti Theodori) in vernaculam translatos, exſtant inter ἀνέκδοτα ſeqventes librorum Scripturæ Sacræ verſiones. 1. *Ottonis Ottonis* filii Reynevallenſis Paſtoris, Verſio Libri *Job* ſoluta. 2. *Pauli Biörnonis* Selardalenſis, Verſio Pſalmorum Davidis cum Obſervationibus Philologicis & Didacticis. 3. Ejusdem Verſio Prophetæ Eſaiæ, adjectis qvoqve obſervationibus Philologico-Didacticis. 4. Ejusdem verſio libri Job, eodem modo illuſtrata. 5. Ejusd. Analyſis in 2 & 3 cap. Prophetæ Danielis. 6. Ejusd. Commentarius in Canticum Canticorum. 7. Ejusd. Verſio totius Novi T. qvam in ſe ſuſcepit rogatu *Theod. Thorlacii*

Episc. Skalh. ante annum 1682 ad finem perducta. 8. *Brynjulfi Svenonis* Episc. Skalh. Translatio, si non totius Novi Test. certe Evangelistarum, ubi Vir doctissimus Græcæ lingvæ Idiotismos qvam maxime expressurus, rigidum subinde semet interpretem ostendit, & ideo forte ejus interpretatio publici juris typorum beneficio non facta putatur. 9. *Joh. Thorkilli Widalini* Versio totius N. T. notis Didacticis illustrata. 10. *Eyulfi Johannis*, Ecclesiastis Vallensis, versio integri Codicis N. T. Textum presse & sollicite exprimens.

Novi Testamenti Apocrypha, juxta Versionem Germanicam, qvæ Vandesb. 1710. prodiit, in lingvam vernaculam transtulit *Gudmundus Hugonis*, Ecclesiastes Vestmanneyensis, qvi & Cap. 3. 4. & partem 5ti Cap. libri Apocryphi, qvi Esdræ adscribitur, & numeratur ejus operum tertius, imo integrum Esdræ librum qvartum, versionem Seb. Castalionis secutus, in Lingvam patriam nuperrime convertit.

(a) Natus est Vir iste, de Ecclesia Dei optime meritus Stadarbackæ, sede pastorali, anno 1542 patre Thorlaco Hallgrimi, ibidem parocho, matre vero Helga, Johannis Sigismundi Nomophylacis filia. Qvarto ætatis anno Tingeyras missus est ad Helgonem loci Abbatem, anno autem undecimo in Scholam Holensem ablegatus ad Episcopum Olavum Hialtium, a qvo, ubi emensus erat curriculum scholasticum, ministerio sacro admotus est, hypodidascaliqve in Schola triviali officio per biennium functus. Prima vice studiorum gratia Havniam profectus est 1561 & triennio ibidem nondum exacto in patriam rediit, atqve

qve Scholæ Shalholtinæ regendæ admovetur 1564. cui & alterum triennium, non tamen completum præfuit; interea vocatus ad Parochiam Breidabolſtadenſem in Veſtur-hóp, vivo adhuc Johanne Matthiæ Sveco, & ibidem Typographiam exercente, qvam mox Parochiam fratri uterino Olavo Kraki filio, deinde affini ſuo Erlendo Pauli reſignavit. Varias habuit ſub id tempus, uti & poſtea (qva de cauſa libellos qvosdam apologeticos conſcripſit, ed Hol. 1592. (al. 1593) 1595 & 1608.) lites cum Gottſkalki, penultimi Epiſc. Hol. Pontificii, hæredibus, qvi prædia ejus nonnulla tenebant, qvæ ut in ſuam poſſeſſionem revocaret, utpote a Gottſkalko injuſte ab avo Gudbrandi materno, antea memorato extorta, in Daniam iterum 1568. abiit, ac ſeqventi anno (69) 22. Apr. ad Rectoratum (Holenſem) vocatus a Joh. Alberti Sælandiæ Epiſcopo, poſtliminio rediit, comite itineris Chriſtof. Walkendorfio, Islandiæ Præfecto. Sed in Rectoratu Holenſi unum tantum exigens annum vocatur a Frid. II. Dan. Rege b. m. ad Epiſcopen Holenſem, atqve ideo tertia vice in Daniam abiit 1570 ordinatus ſeqvente anno d. 8. Apr. in Æde B. Virginis Havniæ a D. Paulo Matthiæ, poſtqvam 4. die ejusdem menſis, præſentibus D. Paulo Epiſcopo ac toto fere Regni Senatu Regiæ Majeſtati Juramentum Fidelitatis præſtitiſſet. Mox 10. Maji 1571. ultimum Havniæ vale dixit, patriamqve reviſit 1. Jun. ac die 18. ejusdem menſis Cathedram adiit. Anno 1572. in matrimonium adſcivit Nobiliſſimam Virginem Halldoram Arnæ filiam de Hlidarenda, (qvæ obiit 1585), ex

qva unum filium Paulum & tres filias suscepit. Anno 1624. tempore verno in hemiplexiam delapsus & 20 Julii 1627. ætatis 85. officii Episcopalis 56. obdormiit. Immortale promeruit nomen magnus hic & gravissimus Antistes, ob egregia ipsius merita in patriam, Scholas, Verbi Dei pauperes ministros, & omnes, qvi opem ejus implorabant. Cujus etiam inter alia præclara benevolentiæ in patriam, & infucatæ pietatis specimina est, qvod Typographeum suis sumptibus erexerit, & insigniter locupletatum Cathedræ Holensi legaverit, ut a Successoribus, Episcopis Holanis, libri doctrinam & exercitium veræ pietatis docentes, publico bono ederentur. Tabulæ Testamenti scriptæ sunt Holis d. 12. Sept. anno 1611.

(b) De Versione libri Syracidis a Gizero Einari in Codice Pergameno Acad. Havniensi adscripto, ut & in eodem Volumine de Versione libri Job, consuli meretur S. T. Harboes første Afhandling om Reformationen i Island, insert. actis Societ. Scient. Havn. Tom. V. p. 301. Exstat Gislavi Jonæ, Episcopi, Epistola ad Joh. Hennichium Past. Hamb. in Coleri Libro Epist. Frf. 1587. Teste Wormio in Lex. Lit.

§. 5.

Catechismum minorem Lutheri, opera *Ottonis Gottskalki*, primo circa Reformationis tempora translatum in lingvam Islandicam & editum, deinde vero Islan-

Islandice annis 1594 1617 1634 1647 adjectis Precationibus inprimis per Septimanam ex libro precum Avenarii in forma admodum minuta: 1656 1660 1666 1691 1705 1745 1747 1750 1757 1771 & sæpius, latine & Islandice 1708, latine vero tantum cum Explicatione Erotematica latina, unacum confessione Scholastica, precibus aliqvot & sententiis qvibusdam Divi Bernhardi, in gratiam Studiosæ Juventutis a *Gudbrando Thorlacio* Hol. 1616 publici juris factum, erotematice explicarunt *Gislavus Thorlacius* Episcopus Holensis, in Examine suo Catechetico, impr. Hol. 1674 1677 1727; *Johannes Thorkilli Widalinus* in vero Christianismo, impr. Havn. 1729 1740 & Hol. 1748, in lingvam Danicam verso a Joh. Bechero, mercatore primum Havniensi, deinde Borealis & Occidentalis Islandiæ Nomophylace, in Germanicam vero a *Joh. Thorkillio*, (cujus versio publici juris nondum facta est, sed prelo parata 1755); nec non Mag. *Joh. Arnæus*, Qvæstionibus suis Cathecheticis Havniæ aliqvoties recusis. Pertinent huc Explicationes Catechismi, qvæ auctores exteros agnoscunt, in lingvam vernaculam a nostratibus translatæ, cujus modi sunt: 1. *Catechismus Petri Palladii*, latine primum 1541 conscriptus & in lingvam Islandicam translatus a *Gudbrando Thorlacio*, ed. Hol. 1576 (a). 2. *Justi Jonæ Conciones in Catechismum* versæ ab *Ottone Gottskalki*, prod. Breidabolst. 1562. Edidit qvoqve *B. Gudbrandus* Institutiones Erotematicas de Articulis fidei 1601. 3. *Catechismus* κατ᾽ ἐξοχὴν *Magnus* (vel Major) dictus Lutheri, e Danico translatus prodiit Holis 1610 1619 1691. 4. *Biblia Laicorum*, sive Catechismus aureus Joh. Avimanni, qvem ex lingva Germanica transtulit *Gudbrandus Thorlacius*,

O 5 impr.

impr. Hol. 1599. 5. *Biblia Parva*, e latino verſa per *Arngrimum Jonæ* Melſtadenſem, ed. Hol. 1590 & 1622. 6. *Joh. Sigvardi Compendium Articulorum Fidei*, a *Joh. Aræ* filio, Paſtore Vatnsfiordenſi translatum, ed. Hol. 1675. 7. *Enchiridion Davidis Chytræi & Mart. Chemnitii* ed Hol. 1600. 8. *Catechiſmus Lutheri Major Witebergenſis*, ab *Arna Thorvardi*, paſtore Tingvallenſi, translatus, prodiit Skalholti 1688 (al. 1691). 9. *Breviarium Catechiſmi Lucæ Loſſi*, conſcriptum 1550, ſed a Mag. *Theod. Thorlacio* translatum & editum Skalh. 1693 adjectis qvibusdam precibus & Sententiis e Proverbiis Salomonis, a L. Loſſio collectis. 10. Ἀλήθεια κατ' εὐσέβειαν, ſive Explicatio Catechiſmi ab *Erico Pontoppidano*, jam pridem Acad. Havn. Procancellario adornata, qvam in vernaculam transtulit primum *Haltorus Brynjulfi* Epiſc. Hol. cujus verſio prodiit Havn. 1742, dein *Hugo Sigurdi*, Parochus Stafafellenſis & Nomarchiæ Skaftafellenſis Præpoſitus, deinde Eccleſiaſtes Breidabolſtadinus in Fliótshliíd, cujus nova translatio prodiit Havniæ 1746 & Holis 1759 1764 & 1769 (b). Hunc librum in Compendium redegit *Vigfuſus Johannis* f. paſtor Miklaholtenſis, qvod Havniæ 1770 auctor edendum curavit.

His libris Catecheticis, ob argumenti ſimilitudinem, addi poſſunt ſeqventes, fundamenta doctrinæ Chriſtianæ exponentes, nimirum: 1. *Margarita Theologica*, e locis communibus Philippi Melanchthonis deducta, a Mag. Joh. Spangenbergio, in uſum vero Incolarum Islandiæ, & inprimis verbi Divini miniſtrorum, qvi exoticas lingvas non callebant, translata a *Gilberto* (Giſlavo) *Johannis* f. Epiſcopo. Skalh. edita

edita in 4. ſine mentione anni & loci, probabiliter tamen Havniæ 1558, Præmittitur libro Epiſtola Nicol. Palladii, Epiſcopi Scanenſis, ad Paſtores Islandos d. Havn. 1558 & præfatio laudati *Gilberti.* 2. *Margarita Theologica,* continens methodicam explicationem præcipuorum capitum doctrinæ Chriſtianæ, a M. Adamo Franciſci Abbate Heilbrunnenſi collecta & conſcripta, qvæ in uſum Scholarum Islandiæ Latine prodiit Holis 1620. 3. *Via Vitæ* Nicol. Hemmingii, ſive Chriſtiana inſtitutio credendorum & faciendorum, a *Gudbrando Thorlacio* verſa, & cum ejus præfatione edita Holis 1575 & 1599. 4. *Oratio Dominica*, X. Concionibus illuſtrata ab Andrea Mariager, ad ædem D. Nicolai Havnienſem Eccleſiaſte, cum Præf. Pauli Matthiæ, Epiſcopi Sælandiæ, qvam in vernaculam transtulit *Gudbrandus Thorlacius*, & juris fecit publici Hol. 1606. 5. *Informatio de Sacra Cœna* Joh. Galli, aucta & in ſermonem translata patrium a *Gudbrando Thorlacio*, & prodiit cum ejus Præfatione Holis 1598.

Inter inedita ſunt: *Juſti Jonæ Catechiſmus*, Haus-Tafel, cujus verſio habetur, adornata a *Sveno Johannis*, Eccleſiaſte Bardenſi. Ineditæ qvoqve ſunt verſiones D. Sigvardi Tubingenſis Articulorum fidei, & Joh. Bircherodii Articulorum fidei, illorum qvidem anno 1688. horum vero 1691. adornatæ ab *Islevo Thorlevio*, qvi primum fuit Diaconus ad monaſterium Mödruvallenſe, ſed ſvaſu patroni ſui, Johannis Eggertini, in Academia Havnienſi biennio exacto, in Svecia aliqvandiu ſubſtitit, ut Collegio Antiqvitatum a manibus eſſet, ſed redux in patriam, Garpsdalenſi primum, mox Eyrenſi in Skutulsfiord cœtui parochus præfuit,

præfuit, usqve ad Annum emortualem 1700. *Catechismi Lac Logicum* Chr. v. Stöcken D. in vernaculam juxta Verſionem Danicam translatum eſt ab *Egillo Eldjarni* f. Utſkaalenſi paſtore adhuc ſuperſtite. Cætera qvæ pertinent ad hiſtoriam catecheſeos, peti poſſunt ex Præfatione S. V. Dn. *Finni Johannis f.* Epiſcopi hodie Skalh. D. Joh. Jac. Rambachii Monitis catecheticis, qvæ Islandice prodierunt Holis 1759. præfixâ.

Nec ſicco pede præterire licet, qvod *Gudbrandi Thorlacii* auſpiciis edita ſit *Recta Confirmatio*, ad tenorem ordinationis Saxonicæ, Hol. 1594. & 1596. & ab eminent. Ludovico Harboe in Dän. Biblioth. luculenter deſcripta. *Auguſtana* vero *Confeſſio*, a *Johanne Thorkillio*, civitate Islandica donata ed. eſt Hol. 1742 cum Præfatione (S. T.) *Ludovici Harboe*, qvæ tempore B. *Gudbrandi* edita a nonnullis traditur, anno editionis non memorato, qvam narrationem ut oppido incertam in medio relinqvere tutiſſimum credo.

(a) Hanc Catechismi Expoſitionem latine conſcriptam Danicam fecit Matthias Parvus Roſefontanus 1543. qvæ prodiit e Typographeo Joh. Wingardii 13 Maji 1546 cum Præfatione Petri Palladii ad Ormum Sturlæum Nomophylacem, Petrumqve Einari (Martini Epiſcopi fratrem), qvorum ut & Petri Pauli f. Abbatis Tveraënſis rogatu hanc Expoſitionem fieri procuravit. Prius vero qvam *B. Gudbrandus* hanc in ſe ſuſcepit translationem, aliam agreſſus fuit ſtudioſus qvidam Islandus, Theodorus Einari, qvi fatis ceſſit, priusqvam ſuam Verſionem abſolveret, teſte ipſo Palladio in Epiſtola ad Petrum Einari & Ormum Sturlæum.

(b) Cum

b) Cum prima editio hujus libri variis erroribus scateret, adornata etiam fuit in usum Discipulorum Scholæ Skalholtensis versio latina, ut sensus libri qvam optime pateret, & sphalmata pubi Scholasticæ offendiculo non essent. Editioni qvæ prodiit Holis 1759 elegantem adjecit Præfationem Vir Ampliss. & S. V. *Gislavus Magnæus*, Episc. Hol. ubi varia recensentur opera in lingva patria edita, qvæ Lutheri Catechismum explicant.

§. 6.

Textuum Evangelicorum Anniversariorum seqventes habemus *expositiones* a popularibus meis tum conscriptas, tum ex aliis lingvis in vernaculam translatas: scilicet:

1. *Antonii Corvini*, interprete *Ottone Gottskalki*, impr. Rostochii 1546. in forma 8.
2. *Gudbrandi Thorlacii*, ex variis variorum Doctorum libris collectas, ubi etiam Textus Epistolarum explicantur, ed. Hol. 1597. 1609. argumento cujusqve Pericopes Stropha incluso.
3. *Viti Theodori*, (qvæ *Postilla Juniorum* audiunt) ed. Hol. 1603. a laudato *Gudbr. Thorlacio*.
4. *Andreæ Pangratii*, ed. primum a *Gudbr. Thorlacio* 1610. recus. vero Hol. 1649. & 1676.
5. *Gislavi Thorlacii*, Episc. Hol. (a) ed. 1684. & 1706.
6. M. *Dominici Beern*, Diaconi ad Æd. St. Laurentii Norimbergæ, ex Concionibus Joh. Mich. Dilheri

ex-

excerptas, ſed in vernaculam translatas a *Theod. Thorlacio*, Superint. Diœceſ. Skalh. cujus etiam ſumptibus prodierunt, opera Joh. Snorronis, Typographi Skalh. 1690. cum præfamine editoris, precibus aliqvot & Pſalmo Davidis LI. cum ſuccincta ejusdem explicatione annexis.

7. *Lucæ Loſſii Homiliæ* in Evangelia Dominicalia, qvas in vernaculam transtulit *Thorſteinus Gunnari*, ed. Skalh. 1690.

8. *Joh. Thorkilli, Widalini*, (b) qvæ editæ primum Holis anno 1718. & ſepties deinceps. (c)

9. *M. P. Roſtochii* Erotematicas, a *Petro Einari* parocho Miklaholtenſi verſas, reviſas vero & Havniæ editas cura M. *Joh. Arnæi*, Epiſc. Skalh. (d) Prodiit porro 1690. auſpiciis *Theod. Thorlacii*, Episc. Skalh. *Medulla Epiſtolica*, ſive breves Expoſitiones Textuum Epiſtolicorum, per anni circulum, a Luca Loſſio adornatæ, & in lingvam Islandicam translatæ a *Thorſteino Gunnari* f. paſtore Skalholtenſi Cathedrali & Nomarchiæ Arneſinæ Præpoſito: Subjunguntur varii hymni & Appendix, qvæ continet *Sermonem Divi Bernhardi*, qvi ſtrictim perſeqvitur integram vitæ, paſſionis, reſurrectionis & Aſcenſionis Chriſti hiſtoriam, in gratiam infirmiorum, qvi tempore præſertim qvadrageſimali, ſacras ædes freqventare neqveunt, editum.

Inter Anecdota ſunt: Verſiones *Olavi* Halleri, (e) Poſtillarum *Mart. Molleri*, *Joh. Gerhardi*, & *Arndtii* (e Germanica, e latina vero lingva *Dauderſtadii*, *Bakii*, *Meisneri*, *Himmelii*, & ex Danica *Pauli*

Pauli Andreæ; plura etiam id genus Vir iste maxime laboriosus aut explicavit aut exscripsit, in gratiam inprimis parochorum, qvi novitii ad munus Sacrum accedebant. *Postilla Domestica Erasmi Brochmanni* Sælandiæ Episc. in Textus Evangeliorum & Epistolarum anniversarios in sermonem patrium translata per *Johannem Grimulfi*, Parochum Hvanneyrensem in Siglufiord. Exstat insuper *Matth. P. Rostochii* Explicatio Erotematica Textuum Epistolicorum a *Sigurdo Einari*, Scholæ Skalh. Conr. in vernaculam translata.

(a) Natus est 7. Novembr. 1631. (anno nempe, qvo denatus est avus ejus maternus Gislavus Haqvini Nomophylax); post privatam in domo paterna & publicam in Schola Holana Institutionem, Havniam Studiorum gratia profectus est 1649 & triennio ibidem exacto in patriam rediit 1652 Rector mox Scholæ Holanæ constitutus, cujus fasces biennio moderatus est, & 21 Apr. 1656 in Synodo Flugumyrensi, in locum patris sui *Thorlaci Skulonii* Episc. Hol. a Clero Diœceseos Holanæ ad Episcopatum vocatus, qvo anno Havniam profectus est, & 10 Maji seqventis anni a Joh. Svaningio ordinatus. obiit 22 Julii 1684 postqvam 1674 ad tertia vota transierat.

(b) Natus est disertissimus hic Orator d. 21 Mart. 1666. qvi emenso Skalholti curriculo Scholastico Havniam studiorum magis excolendorum gratia pervenit, & postqvam albo studiosorum insertus erat, militiæ nomen dedit, inter epibatas stationem nactus; sed displicuit qvantocius militare studium; unde ad studium Theologiæ se conferebat, exami-

examineqve Theologorum feliciter defunctus, patriam revisit, moxqve illi Collegæ in Schola Skalholtina munus obtigit: Hinc ibidem pastor Ædis D. Petro dicatæ cathedralis, & deinceps Gardensis & Bessastadensis evasit. Anno 1698 mitra Episcopali Skalholtina donatus, spartam, qvam nactus erat egregie & graviter ornavit, ad annum currentis seculi vigesimum, qvo, die Augusti 20 vitam cum morte commutavit.

(c) Homiliæ Widalini, tum qvæ commemorantur hoc loco, in Textus Evangelicos anniversarios, tum qvas in Passionem Christi, & ejus VII. verba in cruce pendentis adornavit, zelum Viro Dei Dignum, eruditionem exqvisitam, & eloqventiam summam ubiqve spirant.

(d) Misit suam Versionem primum revidendam Dn. *Joh. Haltorio*, Ecclesiasti Hitardalensi, qvi concionem in pericopen Evangelicam Joh. I. adjecit, deinde fuit hæc Versio limæ b. *Joh. Arnæi* Episcopi subjecta.

(e) Natus est Olavus 1600, e Schola Holana dimissus 1620, & anno 1622. Havniam petiit, Academiæ mox alumnus, ubi biennio exacto patriam revisit, & mox varias Germaniæ Academias salutavit, Jenæ & Wittenbergæ potissimum commoratus. Post aliqvot annorum peregrinationem patriæ redditus, Ecclesiastes Höfdensis & Grijtubackensis anno 1627. creatur, inde Holas migrabat, templi cathedralis pastor, & ultimo Grimstungas, ubi diu sacerdotio functus, regionis ad

hæc

hæc Hunavathensis Præpositus, placida morte obdormiit 1681 die 11 Decembr. Ipsius tumulo seqventia Disticha inscribi voluit *Hannas Thorlevius*, Antiqv. Regius.

" Hic cinis Olavi est, cui mens fuit enthea, pectus
" Invictum, sapidis æmula lingva favis.
" Munus erat sanctum, vita inculpata, labores
" Immensi, facilis, sed sine labe, manus.
" Confectus senio cœlum exoptavit & astra,
" Hæc exspiranti cura suprema fuit.
" Corpus habet tumulus, mens dedignata qvod infra est,
" Avolat, & cœlo considet inde suo."

§. 7.

Historiam Passionis Salvatoris nostri homiletice explicant & illustrant:

1. *Conciones VI. Ant. Corvini*, translatæ in lingvam Islandicam ab *Ottone Gottskalki*, & impr. per Joh. Matthiæ Breidabolst. 1559 in 4.
2. *Martini Molleri Soliloqvia* de Passione Christi, ab *Arngrimo Jonæ* Melstadensi 1599. translata, prodierunt Holis 1599. 1611. 1651. 1662. 1746. Skalh. 1697.
3. *Conciones in Passionem XIII.* ex Postillis Lutheri desumtæ, interprete *Gudmundo Einari*,

Scholæ Holenſis Hypodidaſcalo, mox rectore, & poſtea Stadarſtadenſium Parocho, & Diſtrictus Snæfellenſis Præpoſito, qvi obiit poſt annum 1648 Editæ ſunt hæ conciones anno 1600. a *Gudbrando Thorlacio* cum ipſius Præfatione, & calci libelli ſubjecto ad lectores monito.

4. *Hammeri Paſſionale*, in Lingvam Islandicam libere translatum ab *Arngrimo Johannis* f. Melſtadenſi, cum ejusdem Præfatione, Hol. 1618.

Septem Conciones in Paſſionem Salvatoris noſtri interprete *Ottone Einari*, Epiſc. Skalh. ed. Hol. 1620.

6. *Joh. Forſteri Conciones Paſſionales*, interprete *Joh. Aræ* filio, Rectore primum Scholæ Skalholtenſis, & dein Eccleſiaſte Vatnsfiordenſi & vicinarum Præpoſito, usqve ad annum emortualem 1674, ed. Holis 1678.

7. *Joh. Arndtii conciones Paſſionales*, translatæ ex Lingva Germanica ab *Hanna Biörnonis*, Eccleſiaſte Saurbajenſi, prodierunt Hol. 1683.

8. *Joh. Laſſenii & Godof. Hect. Maſii ſepties ſeptem Meditationes* in Paſſionem Chriſti, translatæ & editæ a *Stenone Johannis* f. Anno 1723, qvarum & altera Verſio datur, adornata 1697. ab *Islevo Thorlevio* Parocho Eyrenſi in Skutulsfiord, qvi & auctor eſt Verſionis etiam ineditæ libri Danici **Naadens aandelige Markets Tid**.

9. *Joh.*

9. *Joh. Widalini* Episc. Skalh. *Conciones Passionales*, ed. Hol. 1722. 1740. 1746. 1753. 1772. numero sex, septimæ vero, ɔ: ultimæ, prœmatura auctoris morte interveniente, non, prout credebatur, elaboratæ, ideoqve adhuc ineditæ, suam, ne qvis defectus in tam pulchro corpore esset, substituit *Steno Johannis*, Episc Hol. unacum Widalinianis semper editam.

10. *Ejusd. Heptalogus*, sive septem Conciones totidem Christi in cruce pendentis verba homiletice explicantes, prod. Hol. 1731. 1745. 1754.

11. *P. Herslebii* Episc. Sælandiæ meritissimi *Conciones in VII. Verba Christi*, in lingvam Islandicam convertit & edidit Havniæ 1770 *Petrus Thorsteini*, Nomarchiæ borealis Mulensis Præfectus.

12. Prodierunt deniqve *L. Meditationes* in historiam Passionis auctore *Johanne Johannis* f. Stadarholensium Parocho, materiam mutuante ex Psalterio Passionali B. *Hallgrimi Petræi*, ed. Hol. 1766. Beati qvoqve Petræi Commentarium pressius secutus est *Meditationibus* suis L. in Passionem Christi *Vigfusus Erlendi*, Ecclesiastes Setbergensis, & Districtus Snæfellensis Præpositus, editis Holis 1773. Nuperrime vero laudatus *Johannes Johannis* f. Meditationibus XL. Historiam Resurrectionis Christi prosecutus est, qvæ prodierunt Holis 1749. 1772. In his suis Meditationibus vestigia legit *Stenonis Joh.* Episc. Hol. hujus brevem in historiam Resurrectionis carmi-

nibus xL. elaboratum commentarium luculenta paraphrasi diducens.

Inter *Inedita*, qvæ historiam Passionis Christi explicant, referri possunt seqventia:

1. *Homiliæ XXIII.* prorsus egregiæ *Pauli Biörnonis* Selardensis, & Provinciæ Bardastrandensis Præpositi.

2. Ejusd. VII. Conciones in Passionem.

3. Spirituale colloqvium animæ cum suo Redemtore, de ejus passione & morte; auctorem opusculi, qvod in Biblioth. Univ. Havn. Islandice conscriptum exstitit, ignoro.

4. VII. Conciones Agonisticæ, per *Johannem Einari*, Scholæ Hol. Rect. design.

5. VII. Conciones Passionales *Torfi Islevii*, parochi Stadensis in Sugandafiord.

6. Joh. Gerhardi, Fischeri, & Herbergeri Conciones in Passionem, nec non Meisneri Conciones in VII. verba christi, qvæ in Lingvam Islandicam translatæ sunt ab *Olavo Halleri*, nobis superius laudato, cujus ingentes in libris sacris vertendis labores, tum apud posteros ejus, tum hinc inde in patria supersunt.

7. *Jacob Herrenschmidii* Violarium passionis Christi in vernaculam translatum a *Svenone Johannis*, primum Scholæ Holanæ Hypodidascalo, dein Pastore Cathedrali Holensi & Parocho demum Bardensi, qvi etiam:

8. *Al-*

8. *Alberti Stanislai Radzivilii*, *Conciones in Passionem* in vernaculam transtulit.

9. Meditationes VII. in historiam Septimanæ Magnæ qva nimirum historia acta Christi, hebdomade qvæ contigerunt, ante ultimum, qvo in vivis erat pascha, proximâ, a sacris scriptoribus designantur, conscriptæ a *Benedicto Petri*, qvi pastor Bæensis & Hvanneyrensis ab anno 1669 & Tingvallis apud generum suum Joh. Haltoridem anno æt. 84. officii 63 currentis vero seculi 1724. occubuit.

10. P. Herslebii Conciones in VII. Verba Christi in lingvam Islandicam translatæ a *Thorsteino Ketilsf.* Nomarchiæ Vadlensis Præposito.

Huc qvoqve referri merentur, qvi Psalterium Passionale b. *Hallgrimi Petræi* in solutam orationem transtulerunt, & homiletice explanarunt, nimirum: *Johannes Sigismundi*, Pastor ultimo ad Cænobium Tyckabajense, *Gudmundus Islevi*, Parochus Ingialdsholensis, *Vigfusus Johannis*, Pastor Stödensis, *Johannes* deniqve *Johannis f.* Parochus Helgastadensis. Prolixum in Pasfionem Domini Commentarium f. Conciones scripsit *Thorvardus Audunis filius* Hypodidascalus primo Scholæ Skalholtensis, post Pastor Saurbæensis in Hvalfiardarströnd anno 1775 defunctus. Historiam vero Nativitatus Christi, ut eam hymnis illustravit *Gunnlogus Snorronis*, Pastor Helgafellensis, ita eodem duce homilias in eandem adornavit *Stephanus Haltori* Pastor Mirkaaënsis ed. Holis 1771. Supereſt Itinerarium & Anni Christi, it. Harmonia Historiæ

P 3 Resur-

Refurrectionis ejusdem, auctore *Paulo Biörnonis*, Paftore Selardalenfi.

§. 8.

Ad Conciones Mifcellaneas pertinent feqventes Tractatus Theologici, qvi publicam lucem viderunt, nimirum:

1. Conciones in Pericopas Evangelicas Dominica XIII & XIIX. poft feftum Trinitatis Hol. 1575.

2. Joh. Spangenbergii XV. Conciones funebres in gratiam rudiorum facerdotum, editæ a *Gudbrando Thorlacio*, Episc. Hol. 1578. 1598.

3. Nicolai Selneccerі Expofitio Cap. LIII. Efaiæ, translata & edita a laudato *Gudbr. Thorlacio*, Hol. 1604. 1606.

4. Ejusd. Commentarii in Librum Jonæ & Ruth. in Islandicam lingvam converfi a *Gudbr. Thorl.* ed. Hol. 1614.

5. Pfalmus Davidis XCI. feptem Sermonibus five Homiliis illuftratus ab *Arngrimo Jonæ*, Holis 1618.

6. M. Lutheri Concio in caput VI. Epiftolæ Pauli ad Ephefios, de Panoplia chriftiana, Witebergæ 1533. habita, prodiit Hol. 1602. in 4. & 1606. in 8. ibid.

7. Lyferi fermo de bonis operibus, Islandice Hol. 1594. 1615.

8. Con-

8. Conciones Pœnitentiales, editæ a *Gudbr. Thorl.* 1620.

9. Tractatus de Prædestinatione divina ex Postilla Joach. a Beust, interprete *Sigurdo Einari*, Ecclesiaste Saurbæensi in Nomarchia Vadlensi, 1624.

10. Conciones tres in Micheæ cap. VII. v. 1 - 10. tribus diebus supplicationum extraordinariis legendæ, a *Thorlaco Skulonio* Episc. Hol. confectæ & editæ Hol. 1629 & 1641.

11. Joh. Forsteri Confessio aurea, sive Oratio Manassis V. Concionibus illustrata interpr. *Thorlaco Skulonio*, Episc. Hol. ed. Hol. 1641, 1693.

12. Conciones diebus supplicationum legendæ, auctore *Gislavo Tharlacio*, Episcopo Hol. ed. 1684.

13. Varii Tractatus e Postilla Manuali Dominici Beern maxima ex parte translati a *Thorsteino Illugonis* Rectore primum Scholæ Holensis ad annum 1654. & deinde Ecclesiaste Vallensi & Toparchiæ Vadlensis Præposito, editi vero 1694. Skalholti auspiciis *Theodori Thorlacii* Episc. Skalh. sub seqventibus titulis: (a) Spirituale Gazophylacium. (b) Rosa Pœnitentialis. (c) Examen conscientiæ. (d) Cymbalum Spirituale. (e) Ossa mortuorum reviresecentia. (f) Schola Crucis. (g) Meditatio æternitatis. (h) Judicii extremi Tuba (i) Consolatio Viduarum & Orphanorum. (k) Spiritualis Viator. (l) Spiritualis ὀρειβάτης sive ὀρεςης. (m) Reqvies mentis. (n) Probi parentes. (o) Boni liberi. (p) Horologium spirituale.

P 4 14. Mag.

14. Mag *Biörnonis Thorlevii* (a) Tetras Meditationum Litaneuticarum, five Conciones qvæ die Supplicationum a Friderico IV. (gl. m.) 1702. per utrumqve regnum indicto, item die Votorum (vulgo Heitdagur) a Christiano VI. abrogato, & qvæ primo æstatis & primo hyemis, juxta Computum civilem Islandicum, die recitari possunt, ed. Hol. 1710. in 4. His subjungi possunt:

15. Conciones nonnullæ funebres, habitæ in obitum certarum Personarum, nimirum: α) Gislavi Thorlacii Episc. Hol. auctore *Thorsteino Gunnari*, Pastore Cathedrali, primum Holensi deinde Skalholtensi, ed. Hol. 1685. in 12. β) In Einari Thorsteini Episc. Hol. & γ) Conjugis ejus Ingeborgæ Gislaviæ obitum, per *Johannem Gunnlogi*, Pastorem ibidem Cathedralem ed. Havn. 1700. δ) Gislavi Magni, Nomarchiæ Arnesinæ Choronomi, per *Joh. Thorkilli Widalinum* Hol. 1704. ε) Sigurdi Biörnonis Australis & Orientalis Islandiæ Nomophylacis per *Gestum Arnæum*, Ecclesiæ Saurbajensis & Brautarholtensis ministrum impr. Hol. 1726. ζ) Mag. Johannis Arnæi Episc. Skalholtensis per *Vigfusum Erlendi*, tum Pastorem Cathedralem, & Nomarchiæ Arnesinæ Præpositum, impr. Holis 1748. η) Stenonis Johannis, Episc. Hol. parentante *Johanne Thorlevio*, Pastore Cathedrali, nunc vero Mulensi, ed. Hol. 1741. θ) Gudridæ Gislaviæ, S. T. Finni Jonæi Episc. Skalh. conjugis, per *Johannem Theodori*, tum pastorem Hrunensem & Toparchiæ Arnesinæ Præpositum, nunc

nunc Paſtorem Reynevallenſem, ed. Havn. 1767 in 4to. *i*) Sigridæ Sigurdi filiæ, Dn. Stephani Olavii, Paſtoris Hofkuldſtadenſis conjugis, per *Johannem Johannis filium*, Nomarchiæ Skagafiordenſis Præpoſitum, ed. Hol. 1772.

E farragine *Miſcellaneorum Ineditorum*, qvæ loca Scripturæ homiletice pertractant, ſeqventia adducere licet, nempe:

1. *Pauli Biörnonis Selardalenſis* (b) Exegeſis homiletica in Num. VI. v. 24. 25. 26.
2. Ejusd. Triental Miſeriæ & Gratiæ, tres nimirum homiliæ in Pſ. Davidis LI. qvarum prima continet Orationem Davidis; *ut juſtificetur* a v. 1 - 12; ſecunda, *ut renovetur* v. 12 - 20. tertia, *ut Eccleſia ædificetur* a v. 20. ad finem.
3. Ejusd. Homilia in Textum Pœnitentialem Eſ. LV. v. 6. 7. dedicata Torfo Johannis 18 Januarii 1688.
4. Ejusd. Homilia in Joel II. v. 30. Occaſionem dante Cometa, qvi 1680 toto Decembri viſus eſt.
5. Ejusd. Amuſium, ſive pyxis nautica, ad terram viventium deducens. Eſt Concio in Rom. VIII. v. 1.
6. Conciones IV. in Orationem Dominicam, qvas adornavit Mag. *Johannes Widalinus*, plures utiqve ſcripturus, ſi longiorem ei vitam Deus conceſſerit.
7. Conciones Pœnitentiales in Pſ. Davidis LI. e Germanica lingva Olavus Halleri, & ex Latina Conciones funebres Greg. Albrechtii tranſtulit.

P 5 (a) Na-

(a) Natus eſt anno ſuperioris Seculi ſupra Sexageſimum ſecundo vel tertio, Scholam Skalholtinam qvadriennio freqventavit, & exacto Havniæ biennio 1686 rediit, & ſeqvente anno Comminiſter & adjutor patris ſui, Parochi Oddenſis, factus 1687. Anno 1695. in Epiſcopum Holenſem deſignatum ordinatus, ſed 1696. nondum vacante Epiſcope Holana, vices egit Mag. Theod. Thorlacii Epiſc. Skalholtini, jam tum valetudinarii, & cathedram Holanam adiit 1697. fato functus anno 1710.

(b) Doctiſſimi hujus Viri curriculnm vitæ exſtat in der Isländischen Bibel-Historie p. 148. 149.

§. 9.

Partem cum vel maximam exercitii devotæ mentis piæ ad Deum preces abſolvant, non hac in parte ſuo defuiſſe muneri, qvi animabus rudiorum per ſacra hæc officia uniendis proſpicerent, verbi divini miniſtros, luculenter teſtantur editi precum libri, cujusmodi ſunt:

1. Andreæ Musculi, interprete *Gudbrando Thorlacio*, liber precum, ed. Hol. 1590. 1598. 1611. 1622. 1671.

2. Johannis Havermanni (alias Avenarii) liber precum in lingvam Islandicam converſus ab *Ottone Einari*, Epiſc. Skalh. ed. Hol. 1576. 1621. 1536. 1669. 1696. &c.

3. Va-

3. Variorum auctorum preces collectæ & editæ a *Gudbrando Thorlacio*, Episc. Hol. 1607. recusæ 1634. 1670.

4. Joh. Lassenii liber precum, interprete *Thorsteno Gunnari*, Pastore Cathedrali, ed. Hol. 1682. & 1772.

5. Ejusd. preces matutinæ & vespertinæ per septimanam, laudato *Gunnarii* Interprete, ed. Havn. 1742. & 1746. qvæ in Compendium redactæ & a *Stenone Joh. f.* Episc. Hol. civitate Islandica donatæ prodierunt Hol. 1733. & 1751.

6. Joh. Olearii Exercitium precum, editum 1687. (cui Editioni subjunctum est Calendarium Islandicum) & 1692. adjectis Qvæstionibus in catechismum & hymnis qvibusdam, translatum in lingvam Islandicam a *Theod. Thorlacio*, Episc. Skalh.

7. *Thordi Bardonis*, Parochi Torfastadensis, liber precum, post obitum auctoris editus a *Th. Thorlacio*, Episc. Skalh. 1697. Holis vero 1740. 1746. 1750. 1753. 1772. sæpius.

8. *Altare Suffitus Spirituale*, auctore Conrado Sassio, a *Biörnone Thorlevio*, Episc. Hol. translatum & edit. Hol. 1706.

9. Reenbergii preces ex Anglico versæ; & iterum e Danica in lingvam Islandicam translatæ a *Joh. Thorkillio Widalino*, Episcopo Skalh. prodierunt Hol. 1738.

10. Exercitium pietatis qvotidianum, Joh. Gerhardi, (qvod heic locum habere potest) a *Thorlaco Skulo-*

Skulonio, Episc. Hol. translatum & editum Hol. 1652. 1656. 1687.

11. Preces Matutinæ & Vespertinæ Hallgrimi Petræi, primum in lucem emissæ Hol. 1773.

12. Joh. Phil. Fresenii ad Absolutionem privatam & Sacram Synaxin accedentium preces, juxta versionem Danicam Vindingii in vernaculam translatæ a *Gudmundo Hugonis*, sæpius laudato; prodierunt hæ preces unacum Molinæi Tractatu, inferius adducendo, & id genus cæteris, in eorum gratiam, qvi ad sacram cænam accedunt Hol. 1773.

13. *Thorlaci Thorarini* Pastoris ad Cænobium Modruvallense subjunctæ ipsius poëmatibus miscellaneæ preces prodierunt Holis 1775.

Et ex *ineditis* seqventes:

1. Joh. Arndtii Hortus Paradisi, qvem in lingvam patriam transtulerunt, *Olavus Halleri*, Pastor Grimstungensis, *Johannes Laurentii Gottorp*, Toparchiæ Hunavatnensis Præfectus, *Gudmundus Hugonis*, Pastor Vestmanneyensis, & *Biörno Haltori* Pastor Saudlauksdalensis, & Toparchiæ Bardastrandensis Præpositus.

2. Neumanni liber precum, interprete *Joh. Thorkillio*, Rectore Scholæ Skalh.

3. Preces Matutinæ & Vespertinæ. 1) *Joh. Johannis* f. Stadarholensium Parochi. 2) *Joh. Vigfusii*, pastoris Skardensis in Medalland.

4. Ano-

4. Anonymi preces Matutinæ & Vespertinæ, qvas e lingva Germanica transtulit *Gudmundus Hugonis*.

5. Joh. Stegmanni preces & Salutationes Matutinæ & Vespertinæ, translatæ ab *Ol. Halleri*.

6. Joh. Arndtii liber precum ad ejus verum Christianismum applicatarum, interprete *Gudmundo Hugonis filio*.

§. 10.

Pergo jam ad libros Theologicos varii argumenti, juxta annorum, qvibus impressi sunt seriem utcunqve dispositos, qvorum seqventes hic locum habeant.

I. Editi.

1. Nicol. Hemmingii Via Vitæ, cum ejusdem Dedicatione ad Biörnonem Kaasium, Dominum in Strarup, in lingvam Islandicam transl. & ed. a *Gudbr. Thorlacio*, cum ipsius Præfatione Hol. 1575 1599.

2. Joh. Pfeffingeri Informatio de Justificatione hominis coram Deo, interprete *Gudbr. Thorlacio*, Ep. Hol. cui subjunguntur nonnulli breves Tractatus, inter qvos Spangenbergii Institutio de Morte pie obeunda Hol. 1576 1615.

3. Urbani Regii Antidotum animæ, interprete laudato *G. Thorlacio*, impr. Holis 1578 & Nupufelli 1591, exstat etiam tertia hujus Libri editio 1665.

4. Ni-

4. Nicol. Palladii varii Tractatus: a) de Christiana Morte. b) fidelium Militia. c) hominis Justificatione, d) Extremo judicio; Interprete & Editore B. *Gudbrando* 1577. Ultimus horum Tractatuum recusus est Hol. 1594 1611.

5. Huberini Libellus de ira & gratia divina, interprete 1565 *Olavo Hialtonis*, Episc. Hol. publici juris factus a Gudbr. Thorlacio Hol. 1579 (a).

6. Lamentationes Damnatorum in inferno, Hol. 1590.

7. Admonitio pœnitentialis, conscripta a *Gudbrando Thorlacio*, Ep. Hol. unacum Petri Vinstrupii Concione Pœnitentiali 1594 (al. 1595).

8. Hortulus animæ per *Gudbr. Thorlacium* 1596.

9. Admonitiuncula ad verbi Dei ministros, deducta ex 1 Cor. IV. v. 1. 2. scripta & edita a *G. Thorl.* 1596 4.

10. Tractatus de jurejurando & perjurus Hol. 1596.

11. De justa Ecclesiæ disciplina & clavium potestate 1596.

12. Heronymi Savanorolæ Speculum peccatorum in vernaculam translatum a *Gudmundo Einari*, ed. 1597 (al. 1598).

13. Thomæ Steiberi Liber Consolatorius, continens Explicationem dictorum qvorundam Scripturæ Sacræ huc pertinentium, interprete *Gudbr. Thorlacio*, prod. Hol. 1600.

14. Ni-

14. Nicol. Hemmingii Antidotum animæ, interprete *Gudmundo Einari*, antea laudato, impr. Hol. 1596 1600.

15. Liber ex lingva Germanica translatus de immortalitate animæ: Collectio nimirum Sententiarum, qvæ hoc thema illustrant Patrum, Lutheri, Mathesii, Gigantis, bipartita, cujus prior pars agit a) de immortalitate animæ b) de purgatorio c) de invocatione Sanctorum d) de fine mundi et resurrectione Mortuorum f) judicio extremo g) inferno h) vita æterna. Pars posterior agit de adventu Christi ad judicium extremum, auctore Marco Marulo Spalatensi, &c. de Cruciatibus damnatorum, igne infernali, & beatudine electorum; ad calcem hujus libri, inter rariores omnino referendi, subjunguntur Sermones aliqvot Augustini & Divi Bernhardi Hol. 1601.

(16) Philippi Nicolai Theoria vitæ æternæ, cum Præfatione Translatoris & Editoris *Gudbrandi Thorlacii*, prodiit Holis 1608, sed superiore anno prælo subjecta, dupliciqve Indice instructa (b).

17. Lutheri Sermones Islandice Hol. 1606.

18. Meditationes Sanctorum patrum, qvæ collectæ a Mart. Mollero, translatæ vero & editæ in gratiam & pios usus liberorum, inprimis suorum & amicorum a *Gudbr. Thorlacio* Hol. 1607. dein 1655. Tertia vero vice prodierunt sub Titulo *Clavis Paradisiacæ* Skalh. 1686.

19. Catena peccatorum, e Lingva Danica versa Hol. 1609.

20. Ni-

20. Nicolai Laurentii Arctandri, Episc. Viburg. Speculum pœnitentiæ, a *Gudmundo Einari* translatum & editum a *Gudbr. Thorlacio* 1611. recusum 1694.

21. Mart. Molleri Manuale, de præparatione ad mortem, translatum & editum auspiciis *Gudbrandi Thorlacii*, Holis 1611. recusum vero 1645. 1661. 1753.

22. Ejusd. Mysterium Magnum, ex idiomate Germanico translatum a *Gudbr. Thorlacio* ed. Holis 1615. 1727.

23. Ottonis Casmanni charæ pietatis & raræ charitatis incendium, interprete *Johanne Bernhardi*, Parocho Prestholensi, ed. Hol. 1622.

24. Joh. Gerhardi Meditationes Sacræ, qvas in vernaculam transtulit *Thorlacus Skulonis* Episc. Hol. prodierunt, Hol. 1630. 1674. 1695. 1728. 1753 & sæpius.

25. Ejusdem Gerhardi Enchiridion, eodem interprete & Editore Hol. 1656.

26. Erasmi Vinter Oratio de inferno, qvæ versa a laudato *Skulonio*, prodiit Holiis 1641 Skalh. 1693. Editioni Skalholtinæ subjecta est appendicis loco *Meditatio de vita æterna* ex Ph. Nicolai Theoria vitæ æternæ Libr. V. Cap. XII.

27. Th. a Kempis Canon. Reg. Ord. S. August. de Imitatione Jesu Christi Libri III. interprete *Thorkillo Arngrimi* f. *Widalino*, Ecclesiaste Gardensi, Hol. 1676 anno proximo ante obitum Interpretis.

28. Hall-

28. Hallgrimi Petræi Meditationes hebdomadales, ed. 1677. 1682. & ſæpius.

29. Ejusd. Diarium Chriſtianum 1660 conſcriptum, editum vero 1677. 1682. 1693. & ſæpius.

30. Triplex fidei Theſaurus Jobi, collectus a Johanne Johannis f. parocho Holtenſi in Nomarchia Isfiordenſi.

31. Andr. Matth. Hiöringii Viaticum, ſive Inſtitutio de Sacra Cæna, Interprete *Biörnone Thorlevio*, Epiſc. Holenſi, qvod in publicam emiſit lucem Holis 1706.

32. Joh. Laſſenii Anthropologia ſacra, à *Stenone Johannis* f. Epiſc. Holenſi translata, & ed. Hol. 1713. 1716.

33. *Stenonis Johannis* f. Epiſc. Hol. Meditationes ſacræ *de Tempore*, ſub tit. *Dagra-ſlytting*. Hol. 1727. 1755.

34. Joh. Arndtii Verus Chriſtianiſmus, juxta Danicam Ildii Verſionem, qvæ Havniæ prodiit 1718, translatus a *Thorlevo Arneo*, parocho Kalfafellenſi, & Nomarchiæ Skaftafellenſis Præpoſito, qvæ Translatio deinde recognita eſt & publici juris facta a *Joh. Árnæo* Epiſc. Skalh. Havn. 1731.

35. Joh. Windekildi, Paterfamilias Chriſtianus, qvem ex lingva Danica transtulit *Biörno Magni*, Nomarchiæ Hunavatnenſis Præpoſitus, & deinde Paſtor Grenjadarſtadenſis, & edidit Havn. 1741.

36. Jerſini Via vitæ vera, & ejusd. Pugna & Victoria fidei, qvi libelli e Lingva Danica in vernacu-

lam translati sunt a *Joh. Thorkillio* ed. Hol. 1743.

37. *Georg. Dethardingii Criteria Regenitorum*, eodem interprete Hol 1744.

38. *The whole Duty of man*, juxta versionem Danicam transtulit *Joh. Widalinus*, Episc. Skalh. Hol. 1744.

39. *Petri Molinæi* junioris, Canon. Cantuariensis, & aulæ Regiæ Anglicanæ Ecclesiastis, *Tractatus de Præparatione ad S. Cœnam*, qvem in vernaculam transtulit *Halthorus Brynjulfi*, Episc. Hol. ed. Hol. 1747.

40. *Frankii & Joh. Arndtii monita de lectione S. Scripturæ, pie instituenda*, e lingva Germanica in Islandicam ab Einaro Joh. f. Schol. Skalh. qvondam Rectore versa, prodierunt Soræ anno (ni fallor) 1764.

41. *Musæ in monte Golgatha*, sive Tractatus, qvo liberalium artium devota de passione christi Meditatio & laudatio repræsentantur. Opusculum ex lingva Danica in Islandicam transtulit *Asmundus Einari* & edi curavit Havniæ 1768.

42. *Regulæ XXX.* desumtæ & diductæ ex Hymnis, qvi *Scholam Crucis W. Wudriani* complectuntur, auctore *Stephano Haltoride*, Parocho Mirkaaensi, prod. Hol 1775.

II. In-

II. Inediti.

1. *Pauli Biörnonis* Selardalensis *Hypomnemata Theologica* ad Articulum de Ecclesia.

2. Ejusd. *Speculum Patientiæ*, dedicatum Sigurdo, orientalis & meridionalis Islandiæ Nomophylaci, & Hannæ, pastori Saurbajensi, Biörnonis filiis, fratribus germanis 12 Febr. 1687. cujus pars I. de patientiæ Virtutibus cap. XXI. agit. II. De tranqvillitate animæ capp. VII. Pars III. de autarcheia capp. XVII. agit. Libellum hunc integrum bis tantum Vidi.

3. Ejusd. *Epistola Parænetica* ad Joh. Ulfonis, jussu Episcopi Skalholtensis conscripta 24. Nov. 1671.

4. Ejusd. *Rectus & flexuosus Veteris Serpentis progressus*, ubi detegit auctor varias Diaboli imposturas & insultus, qvibus magicis artibus dediti, circumveniri solent; sed num iste Tractatus idem sit ac alter, cui Titulus: " *Character Bestiæ*" ejusdem argumenti, cum posteriorem non viderim, ignoro.

5. Ejusd. de officio Ministri Ecclesiæ & concionibus scribendis. (c) Huc accedunt alia Scripta Philologico-Theologica, qvæ ipsi video adscripta, nimirum *Calendarium Ebræum*, *Lilium inter Rosas*, *Miscellanea in Evangelia & qvosdam Textus V. T. Homiliæ poenitentiales* &c.

6. *Joh. Arndtii Verichristianismi* Versiones ineditæ, cujusmodi sunt confectæ α) ab *Haltoro Johannis*

nis, parocho Stadensi in Tractu Grunnavík, qvi ad minimum duos primos Libros transtulisse perhibetur. β) A *Svenone Johannis*, Bardensi. γ) ab *Olavo Halleri*, δ) qvartus & qvintus liber ejusdem Christianismi in Lingvam qvoqve Islandicam translatus a *Gudmundo Hugonis* Pastore Vestmanneyensi.

7. *Petri Palladii Informatio*, qvomodo obsessi sint tractandi, in lingvam patriam versa a *Sigurdo Johannis* f. Ecclesiaste Grenjadarstadensi, Episcopes Holanæ & Religionis (ut ipse se interdum scripsit, qvod officialis, ut ajunt, esset ejusdem Diœceseos) inspectore.

8. *Manuale Itinerarium*, qvod a *Joh. Christierni*, Roskildensi, ultimo pastore Malmogiensi (v. J. Wormii Lex. P. II. p. 430) conscriptum, in lingvam Islandicam a *Bödvaro Johannis*, Ecclesiaste Reikholtensi, & Toparchiæ Borgarfiordensis Præposito translatum 1606. Bödvarus vero obiit octogenarius 1627.

9. *Joh. Arndtii Pedisequæ crucis Christianorum*, vernacula donatæ ab *Haltoro Johannis*, Pastore Stadensi.

10. *Oeconomia Christiana*, conscripta a *Svenone Simonis*, Ecclesiaste Holtensi.

11. *Lucæ Martini Speculum Virtutum*, in gratiam piarum Virginum & honestarum Germanice primo conscriptum, & deinde 1639. translatum a *Johan-*

Johanne Arœ filio, Ecclefiafte Vatnsfiordenfi, & vicinorum cœtuum Præpofito.

12. *Valerii Herbergeri Magnalia Dei*, interprete *Svenone Johannis* paftore Bardenfi, (qvi & *Biblia juniorum*, *Cometam Matutinum & Vefpertinum*, *Ædipum fomniorum*, & plura reliqvit)

13. *Gudmundi Einari*, paftoris Stadaftadenfis & Provinciæ Snæfellenfis Præpofiti *Hypomnemata in Serpentem rectum & tortuofum*; five Tractatus contra magiam, & fpeciatim contra carmen infame: *Fianda-fœla*, five Terriculamentum Diaboli dictum, a *Joh. Gudmundi*, *Pictore* dicto, confutum. Scripfit qvoqve laudatus *Gudmundus*, *Tractatum contra ufuras mordentes*, qvas ab exteris præfertim exerceri conqveritur.

14. *Sigurdi Torfæi Tractatus de Magia*, eamqve concomitantibus erroribus, anno 1655 confcriptus, & Mag. *Br. Svenfonio* Epifc. Skalh. dedicatus. (d)

15. *Joh. Bonæ adfcenfio mentis ad Deum* in Lingvam Islandicam translata ab O. J. forte *Olao Jonæ*, paftore primum cathedrali Skalholtino, & dein Stadæ in Grunnavik, qvod a ductu literarum Mfcti, qvod vidi, conjicio.

16. *Andreæ Handorffii Promptuarium Exemplorum* ad illuftrationem Decalogi, qvod juxta editionem Francof. ad Mœnum, qvæ prodiit 1595 translatum eft anno 1613. tecto interpretis nomine.

17. *Vitia Decem Præceptorum enucleata* a *Sigurdo Johannis*, Paſtore Holtenſi in Nomarchia Isfiordenſi.

18. *Septem Orationes Poenitentiales*, e Scriptis Franciſci Petrarchæ Florentini collectæ.

19. *Anonymi Tractatus de vi & gravitate peccati*, item *de Providentia Dei*, Islandice conſcriptus.

20. *XXVII. Meditationes*, in qvibus tractatur *de Amore Dei* intimo erga pœnitentes, *de electione* & *Providentia divina* ex Eſ. XLIX. v. 15. auctore Martino Hyllero, concionatore Rechenbachenſi impr. Danice typis Sartorianis 1642 poſtea in Lingvam Islandicam verſæ.

21. *Diſſertatio*, patrio Idiomate conſcripta, & 3. capitibus conſtans in Rom. V. v. 12. 13. 14. ab Anonymo, in Biblioth. Magnæana adſervata.

22. *Sev. Coldingii Tractatus* ſub Tit. Den blodige Brudgoms Kierlighed, ſive ſanguinei ſponſi (Jeſu Chriſti) erga ſponſam ſuam charitas, translatus a laudato *Sigurdo Jonæ*, Parocho Holtenſi, & Præpoſito Toparchiæ Iſafiordenſis.

23. *Joh. de Serres Meditationes de morte*, in vernaculam translatæ ab *Olavo Halleri*, Paſt. Grimstungenſi, & poſtea a *Thorlevo Thorlacio*, Parocho Laugarbolenſi.

24. *Wudriani Schola Crucis*, qvam e Danico transtulit *Joh. Torfæus*, parochus Stadenſis in Suganda-

gandafiord, & deinde *Vigfusus Johannis*, Ecclesiastes Hitardalensis.

25. *Eman. Sonthomb. Aureum filiorum Dei Clenodium*, juxta Germanicam versionem in lingvam Islandicam translatum a *Thorsteino Johannis* f. Pastore Eydensi in Toparchia Mulensi a. 1660.

26. *Val. Herbergeri Horoscopia Passionis Domini* in Lingvam Danicam versa a *Sevaldo Thomæo* 1637. in Lingvam Islandicam translata a *B. S.*

27. *Jani Bielke*, Norvegiæ Cancellarii, *Orationis Dominicæ Explanatio*, qvam in Lingvam vernaculam, editionem Libelli priorem (1624) secutus, transtulit *Jason Gudmundi Vest* 1711, qvi obiit 1745.

28. *Hugonis Grotii de Veritate Religionis Christianæ* liber, qvem Th. Casp. Bartholini versionem Danicam secutus in patrium Idioma convertit *Joh. Thorkillius.*

29. *P. Baylii Praxis Pietatis*, qvam civitate Islandica donavit *Petrus Einari*, Parochus Miklaholtensis, jam emeritus, sed hodie superstes.

30. *M. P. Rostochii Informatio de S. Cænæ usu* translata a *Gislavo Johannis*, Pastore Stadarholensi.

31. Joh. Buniani Viam peregrinantium ad Cœlum, in Lingvam Islandicam juxta Versionem Danicam

transtulit *Gudlogus Svenonis*, Parochus hodie Kirkebolensis in Tractu Isafiordensi, & Vicinarum Præpositus.

32. *Sacrificium Spirituale domesticum*, sive XII. Regulæ, qvæ praxi pietatis excolendæ inservire possunt, ex Chr. Scriveri Thesauro animæ excerptæ, & in vernaculam translatæ a *Gudmundo Hugonis*.

33. *Epistolæ Christi Septem* ad Ecclesias Asiæ qvas commentario vernaculo illustravit antea laudatus *Gudmundus Hugonis*.

34. *Joh. Mossini*, Ecclesiastis hodie Bergensis in Norvegia *Meditationis Morales*, in lingvam Islandicam versæ a *Gudmundo Hugonis*.

35. *Diarium*, sive Meditationes Septem in Verba B. Virginis Mariæ, a *Joh. Vigfusio*, Parocho Skardensi 1706. concinnatæ, qvarum contenta totidem hymnis inclusit laudatus *Gudmundus Hugonis*, Pastor Vestmanneyensis.

(a) Certum Olavi Hialtii natalem annum, etsi in confinia seculi XV. & XVI. incidisse conjiciam, frustra qvæsivi, sed in actis publicis Synodi, qvæ Holis convocata Vigilia Apostolorum Petri & Pauli 1517. ejus ut Pastoris injicitur mentio: Præbendam Holensem juxta Vesturhóp a Gottskalko Nicolai obtinuit, mox ad Templum cathedrale Holanum accersitus, & deinde Laufasinæ Præbendæ admovetur, cui etiam postqvam

qvam falces Episcopales capessiit ab Anno 1552 ad annum 1599. suffraganeo usus præfuit. Varia ejus fata heic recensere supervacaneum existimo, cum luculenter ab aliis, inprimis Illustriss. & S. V. Lud. Harboe in historia Reformationis Islandiæ, & nuperrime a S. V. F. Johannæo, Episc. Skalh. meritissimo Hist. Eccl. Tom. III. p. 357. seqv. demonstrata sint. Heic saltim indicare placet Hialtium solennia Diei votivi (Nostratibus Heitdagur), si non per totam suum Diœcesin, certe in Toparchiam Skagafiordensem, qvæ Centum qvinqvaginta & qvod excurrit annis in usu erant, reduxit & certis canonibus stabilivit, conventu utriusqve ordinis virorum freqventi ad id habito Miklabæi in Oslandshíld 1566. Solennia Diei votivi magno hominum affectu durabant ad annum hujus seculi qvadragesimum qvartum, qvo auctoritate Regia abrogata sunt.

(b) In gratiam exterorum epigrammata huic libro præfixa apponere liceat, & qvidem I. Epigramma Gudbrandi Thorlacii, Superintendentis Islandiæ Aqvilonaris ad Reverendiss. & Clariss. Virum D. Ph. Nicolai, Doctorem, Theologum & Ecclesiastem Hamburgensem:

" Vive Philippe diu, vivat tua fama perennis
" Qvi grege pro Christi prælia sancta geris!
" Bella gerunt alii mundanis impia telis,
" Tela tibi sed sunt Dogmata vera Dei.

 " His

" His inimica Deo funde agmina, frange phalanges,
" Nil metuens ſtygii ſpicula ſæva ducis.
" Vive & perge diu, Chriſti fortiſſime miles
"Dilecta bellum pro pietate gerens,
" Hæreticos contra calamo pugnare polito;
" Magni etenim merces magna laboris erit."

II. Epigramma Magni Olai, Paſtoris Laufaaſenſis de auctore Libri & ejus interprete:

" Cæleſti dedit hoc conſperſum rore fruendum
" Gloria Saxoniæ magna Philippus opus.
" Qvod patria ut patris legeres idiomate fecit
" Gloria Gudbrandus nominis ille tui,
" Gratia debetur vere immortalis utriqve
" Eſt etenim patriæ lumen uterqve ſuæ."

(c) Nullum b. P. Biörnonis, Viri cetera pii & Doctiſſimi, Scriptorum Theologicorum typorum beneficio adhuc evulgatum, Lectori mirum forte videri poſſit, cum alia minoris momenti edita ſint; ſed obſtitiſſe credo Stylum in plerisqve ejus operibus nunc juſto conciſiorem, nunc a genio lingvæ patriæ ſubinde alienum, & ideo rudi plebi minus accommodatum: Taceo, qvod voces Latinas, Græcas, Hebræos, Syriacas interſperſerit, qvæ propriis Characteribus typorum in Islandia defectu non potuerunt exprimi, &

& paucis intelliguntur: Scripsit enim aut sibi & doctis tantum Viris, aut sua non ad umbilicum perduxit opera, ultimum limam iis impositurus, si a rudi plebecula legi & intelligi voluerit. Obiit doctissimus Vir anno æt. 86 officii pastoralis 61. æræ vero Christianæ 1706.

(d) Judicorum doctissimi Episcopi Svensonii de hoc Libello adferre non piget: " Perlegi hoc
" opus, auctoris optimi & eruditissimi rogatu
" inductus: pium institutum laudo, animum studio divinæ gloriæ ferventem, detestabilis
" flagitii odio flagrantem, qvi se hic exserit
" subinde, exosculor: Materiæ necessitatem
" agnosco, qvi nunc sunt perditissimorum
" qvorundam nebulonum in gente afflictissima
" mores pessimi. Diverticula in aliorum vitiorum insectationes circumcidet iterata auctoris
" cura, & loca sacra diligentius expensa ad rem
" pressius accommodabit. Skalh. 1656. d.
" 6. Jun.

L. L. "

SYLLABUS

Auctorum Islandorum hic laudatorum; ubi Pr. indicat Præfationem, S. Sectionem, §. Paragraphum, n. Notas Paragraphis subjectas.

A.

Arn-

B.

Biör-

D.

E.

Einari

F.

Finni

G.

H.

Helgo-

I.

Johan-

K.

L.

M.

N.

N.

O.

P.

R.

S.

S.

T.

Thor-

Thor-

U.

V.

Wida-



Errores
typographici ita corrigendi:

Pag. 18	lin. 3	colleqvio	l.	colloqvio
—	— 18	ληξεως	—	λεξεως
—	— 28	titerat	—	Literat.
19	— 3	tribunt	—	tribuunt
—	— 10	*αυϑηντια*	—	*αὐϑεντια*
29	— ult.	expicationes	—	explicationes
30	— 29	*Disqvitionem*	—	*Disqvisitionem*
60	— 1	*Hexaëmerii*	—	*Hexaemeri*
64	— 22	Kirkubæensis	—	Kirkjubæensis
64	— 30	1990	—	1690
69	— 20	1886	—	1686
91	— 12	Hafiensi	—	Hafniensi
93	— 8	Latinæ	—	Latinos
103	— 5	eqvitio	—	eqvitis
—	— 19	*Jabannis*	—	Johannis
113	— 4	*Hraldi*	—	*Haraldi*
115	— 13	*Biörnone*	—	*Biörneri*
131	— 23	*Ecclesia*	—	*Ecclesiæ*
133	— 15	Analium	—	Annalium
137	— 27	*Histariam*	—	*Historiam*
138	— 15	laudata	—	laudato
—	— 26	prognatus, Logicam	—	prognatus, qvi Logicam
169	— 10	*Ichthyologiam*	—	*Ornithologiam*
179	— 4	Colloqvinum	—	Colloqvium
187	— 7	operosa	—	operose
198	— 24	gentiliorum	—	gentilitiorum
205	— 15	Ædipus	—	Oedipus
226	— 21	*Godof. Hect.*	—	*Hect. Godofr.*
238	— 18	perjurus	—	perjuriis
245	— 6	*Ædipum*	—	*Oedipum*
250	— 25	Hebræos	—	Hebræas
251	— 7	Judicorum	—	Judicium